DE RENVNCIANDI RECEPTO more modoque.

QVEM GERMANIAE PRINCIPVM, COMITVM, BARONVM NOBILIVMQVE FILIÆ, Siquando nuptui collocantur, Secundum ritum, consuetudinem & statuta patria, salubriter introducta, obseruare solent.

Succincta tractatio.

Cum annexis duobus Consilijs.

PER HEINRICVM BREVLAEVM LICHTEnauiensem Hessum LL. Doctorem.



Cum gratia & priuilegio Cæs. Maiest. ad decennium.

FRANCOFORTI.

Ex Officina Typographica Nicolai Bassæi.

M. D. XCIII.

Author ad Lectorem.

DEcreueram quidem candide lector, contenta huius opusculi, vbi res & ratio postularent, pluribus allegationibus augere, Doctorumq; auctoritates adducere. Verùm cùm vsu venire videam, allegationum plaustra non omnibus arridere, neque etiam semper à quouis lectore inuestigari, studio id à me intermissum esse scias, admonitionis tamen gratia hoc nihilominus addito: Vbicunque Iasonis allegatur auctoritas, ibi materiarum sedes & iura, cuilibet inuestigare volenti, non deerunt, quo etiam auidum lectorem remitto.

Ad consilia opusculo huic annexa, quòd attinet, vtrunque eiusdem materiæ tenorisq; est: Superuacaneum igitur esse duxi, ea summare, ne tempus insumere typographumq; superfluo labore onerare videar.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. LVDOVICO II. LANDgrauio Haſſiæ, Comiti in Catzenelnbogen, Dietz, Zigenhain & Nidda, &c. D. S. Clementiſs.

LVſtra nunc tria eóque amplius, Illuſtriſs. Princeps, Clementiſſime Dn. effluxere, quo tempore à Generoſis Dominis de Iſenburg Comitibus in Budingen Philippo & Ludouico fratribus, Dominis meis Clementiſs. litigioſis controuerſisq́ causis & negotijs, quæ partim in Camera Imperiali, partim verò coram Commiſſarijs Cæſareæ Maieſtatis, vigore conſtitut. Cameræ Imperialis venti-

labantur: ego tanquam ineptus Syndicus & director præficerer, hasq; causas (quæ numero non erant paucæ) obire iuberer: Honorem sanè hunc alij libentißimè detulissem. satis enim inexercitatum nimisq; rudem tot tantisq; arduis causis me esse, excusando prætendebam; Ast omnibus excusationibus incassum obiectis, impositum onus tremebundus quasi aggredi cogebar, proquè mea virili singulas causas dirigebam. Omnibus igitur ordine perspectis & trutinatis, nullam maioris prægnantiorisué ponderis reperi, quàm solam illam, quæ inter nominatos fratres & Dominos meos Comites, tanquam Reos ab vna, & Actricem ex fratre Reinhardo ab Isenbergk piè defuncto neptem,

Comi-

Comitiſſam de VVeſterburg, ventilabatur. Inſtituerat actionem petitionis hæreditatis tantæ æſtimationis, vt etiam tertiam partem (exceptis feudis) omnium bonorum petere non verecundaretur.

Negotium ſanè vtrinque tàm ab Aduocatis quàm Procuratoribus eò diſputando deducebatur, vt poſt multas diſceptationes, ipſa Domina Actrix, Renunctiationem ſuam, quam parenti cæterisquè ad eam rem adhibitis, legitimè decenterquè factam, in dubium eum in modum vocaret, vt cæteris omiſſis, ſolum Renunctiationis punctum, aliquot per annos diſputaretur. Hæc ſanè res prima vice vſq; adeo irreleuans & ſuperuacanea mihi tanquam in-

experto videbatur, vt floccifacerem, nec quanti momenti esset, perpenderem. Verùm altiore indagatione adhibita, requè penitius inspecta, prius cōceptam opinionem repudiare, diuersumquè sentire cogebar: quæ enim ad solennem stabilemquè renunctiationem requirerentur, planè me latebant, meæ siquidem cogitationes ad solum vsum & consuetudinem directæ erant, cumq; his totus in eum finem collimabam. Nonnulla igitur notare cæpi, inq; certa quædam capita dirigebam, continuare tamen ob varia negotia non poteram, sicq; per multos annos incuriæ & obliuioni mandabam, in tantum etiam, vt ne semel quidem cogitādi occasio de causa hac sese mihi offerret, donec in supremo Il-

mo Illustrißimorum principum nostrorum Dicasterio hîc, inter nobiles, haud de vulgari stirpe prognatos, planè conformis casus, causæq; controuersæ status disputaretur: paulatim ea quæ coram Illustrißimo principe C. T. Domino parente Darmbstadij per aliquot annos acta & actitata fuissent, mihi succurrunt, quæquè aliquando notassem, ad memoriam reuoco. Longa deniq; inter Chartacea inuestigatione habita, notata tandem mea carie situq; obducta reperio, eaquè mente recolo, donec in iam dicta causa ab vtraq; parte concluderetur, resq; iudiciali sententia determinaretur, & ne forsan quæ olim pro mea tenuitate collegeram, in spongiam abirent, ea quæ prioribus adhuc deesse vi-

 deban-

debantur, continuatione quali quali etiam pro temporis conditione, per succisiuas horas adimplere conabar. Hoc meum intentum aliæ nõnullæ causæ huius planè argumenti corroborabant, vtquè cæpto negotio summum fastigium imponerem, admonebant: re enim cum intimis familiaribusq́; meis cõmunicata, fragmentaquè mea, quasi abortiuum quidpiam illis exhibita cum viderent, summam vt manum cæpto negotio adderem, instigabant, hoc insuper addentes, decisionem huius quæstionis controuersiæquè, iamdudum à multis summo cum desiderio expectatam fuisse, nec esse quicquam quod cunctantem me remorari posset. Horum deniq; instinctu rem ad vmbilicum duxi,

non

non quidem ea intentione, quod eandem tanquam chaos confuſumquè monſtrum in lucem typis euulgandam, animum induxeram: ſed vt mihi priuatis in negotijs meis, ſicubi ſimilis emergeret caſus, præſtò eſſent: quid multa? parituram me tandem pollicitus ſum. Ne autem negotiolum hoc meum qualecunque etiam, à quouis momo impetu ſubitaneo conuelleretur, de Mœcenate quodam cogitandum mihiquè proſpiciendum fore, remipſam poſtulare videbam, aliumquè nullum niſi Tuam Celſitudinem, Illuſtriß. Princeps, qui huic negotio auctoritatem adferre poſſet, reperire potui, idquè hanc ob rem. Cum à ſupradicta Domina Actrice, vigore Conſtitutionis Cameræ Imperia-

lis, Illustrißimus princeps C. T. parens, Clementißimus meus Dominus, Cæsareus Commissarius ad hanc causam delegaretur, resquè hæc C. Suæ vigore der Außträge/ *iudiciali processu determinanda committeretur; quàm inuitus, quantaq; cum deliberatione prouinciam hanc C. S. subierit, non me latet: quas enim intimo prudentiquè sub pectore cogitationes volutârit, coniectura quadam, haudfrustratoria, facilimè assequi poteram: Res enim causaquè non solum noua, neq; etiam tàm pridem iudiciali sententia determinata erat, sed etiam valde præiudicialis (vti in rei veritate consistebat) apparebat, quamplures enim arrectis auribus auidisquè (satis tamen timidis) animis, rei huius*

huius iudicialem euentum expe-ctabant. Nec insuper me præterit, quàm deliberatè prudenterq́, post conclusionem vtrinq; in causa factam, Illustriß. princeps Clementißimusq́ Dominus meus, totum arduumq́ hoc negotium gubernârit. Succurrunt adhæc mihi clementes, benignæ, salubresq́ admonitiones, quibus per Cancellarium piè defunctum D. Ioannem Centmeiern, reliquosq́ consiliarios, ad partem, quin & coniunctim, vtrumq; Syndicum sollicitê satis prensabat, vt rem, quæ non extraneas, sed agnatas cognatasquè personas concerneret, amicabili transactioni, propter litis dubium durumq́ euentum, committeremus. Hisce pro mea sanè persona motus, cum sæpedictis meis Domi-

Dominis Comitibus agere, eosq́; interpellare non desinebam, vt oblatam quasiq́; interpositam ab Illustrißimo Principe trāsactionem non abnuerent: idquod etiam me obtenturū fidem faciebam, quatenus ab Actrice conditiones tolerabiles pro transigenda re, in medium proferrentur. Ecce autem, cum omnes consiliarij, qui tunc temporis satis frequentes aderamus, attentis aurib. media transigibilia (vt ita loquar) expectabamus audire; Ab Actricis partibus tam austera, horrida duraq́; media adducebantur, vt etiam Domini mei Comites, qui tum temporis præsentes erant, stupore quasi perciti, non medium, sed extremum per quod ad medium perueniri non posset, ab Actricis partibus

tibus propositum esse dicerent: Sicq; ob austeram importunitatem Dominæ Actricis infectare vtrinq; discedebatur, resq; iudicis sententiæ definitiuæ determinanda committebatur, sententiaquè haudmultò pòst, pro Dominis meis Comitibus pronuntiabatur. Haud igitur immeritò, si quidquam, hac durante disceptatione iudiciali notatu dignum, quod typis excudendum esset, à me obseruatum fuit, T.C. fratribusque tuis, ob dextram synceramq; hac in re Illustrißimi principis parentis vestri nauatam operam, vt idem dicarem consecraremq;, & res & ratio postulat, idquè eò potißimum, vt & vestris CC. olim constare posset, quid Illustrißimus princeps parens vester, Do-

minus meus Clemẽtiß. præstiterit, quantaquè cum præmeditatione, maturaq́; deliberatione, in causa hac tam præiudiciali magnæq́; cõsequentiæ, omnia administrârit, quo & VV. CC. vbi ætas & iudicium maturuerit, similibus arduisq́; causis, & negotijs cum laude præfici adhiberiq́; possent, neue in CC. VV. locutio prouerbialis residere videatur, qua dicitur: Neque compluitur neque sole aduritur. *Quod restat Illustrißime Clementiß.q́; Princeps, hoc vnicum à C. T. submißè contendo, vt hunc meum laborem, quasi leuidensem texturam, clementer suscipiat, meq́; C. S. originarium subditum clementer & benignè agnoscat: quod si impertrauero, ad alia, forsan hisce plausibiliora, ansam mihi da-*

hi dari colligere potero. Hisce C. T. cum fratribus æquè Dominis meis Clementißimis Omnipotenti Deo committo, vtquè vos cunctos & singulos Diuino suo flatu & gratia regat & instruat, quò more Illustrißimorũ CC. Vestrarum Maiorum & parentum, Patriæ communiquè Germaniæ summa cum laude quondam præesse poßitis, Summũ Deum ex animo oro. Data Marpurgi ex musæo meo, 7. Cal. Augusti, Annò post salutarem virgineumquè partum supra millesimum, quingentesimum, nonagesimo secundo.

T. C. & Cl.

Subditus & submissus

Henricus Breul L L. D.
Lichtenauiensis Hessus.

DE RENVNCIANDI RECEPTO more modoque.

PRAEFATIO.

E*Xijt Clarissimi Consultissimiq́; viri, Iacobi Butrigarij, Vniuersitatis Bononiensis, Bartoliq́; quondam discipuli, tractatus quidam,* De Renunctiationibus Iuris Ciuilis, quae in contractibus adponi soleant, quibus legum beneficijs in contractibus & instrumentis renunciari receptum sit. *In quo numero circiter quinquaginta tres species huius materiae enumerat, hanc autem, de qua hîc agere instituimus, alto silentio cum caeteris praeterit, reijciens eas forsan ad Statuta, vnde quoq; promanare videntur: subdensque in calce post enumeratas species praedictas,* Alias renunciationes inueniri quidem posse, sed magis laboriosum quàm vtile vel subtile esse, &c. *quod forsan suorum temporum secta passa non fuisset, si eandem tractandam suscipere voluisset. Ast*

Vsus

Vſus multarum rerum magiſter, a *diuerſum ſentire ſuadet: quàm variæ enim controuerſiæ, quæſtiones, diſputationesq́; graues, ob vnicam hanc Renunciationem inter perſonas, etiam Illuſtres, Generoſas & Nobiles, ſuſcitatæ ſint & adhuc quotidie ſuſcitentur, vel nobis tacentibus, quamplurimis grauibus viris hactenus innotuit, in tantum etiam, vt mirum haud immeritò videatur, neminem poſt Italicos commentatores, præceptores noſtros mutos, in tanta doctiſſimorum Germaniæ virorum frequentia extitiſſe, qui abſolutam integramq́; tractationem huius materiæ ſuſcepiſſet, cum tamen plæraque Germaniæ conſiſtoria præcipua, vnica hac materia, caſibusque huic ſubiectis, ſubinde diuexentur. Breui tamen tempore, non ſolùm materiam hanc ſed alia quamplurima, de quibus iam nemo noſtrum ob turbulentum ſtatum horum temporum cogitat, in Reip. Germanicæ ſalutem in lucem proditura & ſperandum & exoptandum eſt: Centones hoſce noſtros, alijs ad expectata dudum euulganda, anſam præbituros confidimus. Sed ad D. Butrigarij verba (vt dictum eſt) redeamus, viceq́; exordij præſtò adſumamus, ſubſequētibus enim verbis in hunc modum concludit.* Niſi ſecundum contractuum diſtinctionem qui

[a] C. quam ſit de electio. in 5 & c. cupientes eo. c. ſtatutum de reſcrip. eo, lib.

B fierent,

fierent, contractus enim dare regulam seu materiam renunciandi: *quod ipsum & Vlpianus IClus innuit, dum ait*, Nam hoc seruabitur quod ab initio cōnuenit, legem enim contractui dedit: [b] *Quæ conuentiones cum in contractibus quibusuis maximi & substantialis sint momenti, in præsenti certè Renunciationis materia, simile suum robur habere, ex verbis Imper. Iustiniani absq; omni fastidio colligere poterimus*: Antiquam enim regulam iuris esse, *adstruit*, ex qua omnes licentiam habeāt, his, quæ pro se introducta sunt, [c] renunciare. *Has igitur Renunciationes cum suis peculiaribus conuentionibus, regulis & legibus, pro cuiusq; loci, personarum qualitate, & rerum conditione fieri constet, certò tamen definiri non potest, quomodo exerceantur, idq́, propter varios discrepantesq́; ritus & consuetudines, quas singulæ ferè prouinciæ, ditiones, quin & familiæ, longo vsu addidicere: Quoad igitur fieri poterit, succincti in pertractanda hac materia erimus, iuxtaq́; quatuor Causas Dialecticas, Efficientem, Materialem, Formalem, & Finalem, tractabimus, quæq́ue singulis locis necessario adijcienda sint, omißis superfluis, prædicta breuitate absoluere conabimur.*

[b] L. contractus ff. de reg. iur.

[c] L. Si quis in scribendo C. de pact. L. pactum ff. eod. L. Si iudex ff. de minorib. §. Si quis itaque Inst. de Bonor. poss.

DE PERICVLO IVRIDICAE DEFINITIONIS, ET MOdo Iureconsultorum definiendi.

SVMMARIA.

1. *De definitione in genere.*
2. *De periculo definitionis.*
3. *De defectu definiendi.*
4. *Excessus definiendi.*
5. *Effugium definiendi.*
6. *Definitio quid.*
7. *Definitio definitionis.*
8. *Precarium quid.*
9. *Possessio quid.*
10. *Dolus malus.*
11. *Testamentum quid.*
12. *Furtum quid.*
13. *Vis quid.*
14. *Veritas nimium altercando amittitur.*
15. *Cauillatio vel σόφισμα.*
16. *Perplexa disputatio.*
17. *Frustratorius syllogismus.*
18. *Simplicitas legibus amica.*
19. *Finis definitionum.*
20. *Iurisconsulti, non Dialectici.*

CAPVT PRIMVM.

1 REctè quidem admonet Cicero *Omnem institutionem quæ de aliqua re à ratione suscipitur, à definitione debere proficisci, vt intelligatur id de quo agitur*: a Verùm regula nostra Iuris antiqui, quæ dicit *Omnem defi-*
2 *nitionem in iure periculosam, parum enim esse vt subuerti non possit*, b vsque adeo plerosq; summæ etiam auctoritatis viros deterruit, vt non solùm, vbi veterum Iureconsultorum in iure passim quauis de re definitiones non extent, ipsi nec audeant quicquam aliquali etiam descriptione, pro subiectæ materiæ necessitate definire, sed etiam verbis d. reg. tenaciter inhærentes, ad ipsas I-
3 ctorum definitiones in iure contẽtas, tanquam suspectas insufficientesque ad subiectam materiam, relinquant, moti, dubio procul, regulis, argutijs, sophismatisque dialecticorum, secundum quorum regulas normasq; exactas, & iuris definitiones, regulari quoque debere necessariò sibi persuadentes.

a Cic. lib. 1. offic.

b L. omnis definitiui. ff. de reg. iur.

His succedunt non minus eruditi quàm graues viri, qui in re quauis definienda, ma-

gna

gna cum anxietate in tantum desudârunt,
vt cumulatione definitionum res ipsas 4
pene suffocent, vti passim apud commen-
tatores Iuris est videre, quibus tamen viris,
mutisque nostris præceptoribus, pro som-
nijs etiam si qua nobis reliquissent inter
cætera scripta, honos & gratia à nobis ha-
benda est, quippe qui seculo satis barbaro 5
nati, diuersissimo à nostro docendi discen-
dique modo instituti fuerunt. Vt autem
prædicta tutius effugiant, ex neotericis non
desunt, qui dicta Iauoleni verba *d. l. omnis*,
de sententia definitiua potius intelligere
malint, quàm Dialecticæ censuræ quicquã
subijcere: Quorum sanè opinio cum ratio-
nibus quibuscunque quodammodo fulci-
ri possit, à mente tamen Iauoleni alienissi-
mam esse liquidò constat. ipse enim Vlpia-
nus (quem & *d. l. omnis*, auctorem esse ex-
emplaria nonnulla habent) verbo *Defini-* 6
re, ea significatione vtitur, qua dicimus a-
liquid *breuiter describere vel demonstrare* c sed
hi sua defendant, cum à nostro proposito
sint aliena. Si secundum Ciceronis men-
tem, vbi ipsam definitionem definit, rem
quamlibet pro exigentia aliquali quoque

c L. de pupillo §. & belle pedius ff de no. operis nunct, Franc. Connan. lib. 1. c. 8. num. 6.

deſcriptione demonſtrare poterimus, con-
tenti erimus, ſi id de quo ſumus acturi, in-
7 telligatur, ait enim *Definitionem eſſe, quæ rei
alicuius proprias amplectatur poteſtates, breui-
ter & abſolutè.*[d] Nec tantopere refert ſi in I-
ctorum definitionibus propriæ poteſtates
hæ inſertæ, ad alias quoq; res trahi poſſint,
hac ſiquidem in re tam ſuperſtitioſi non
fuerunt, ſemper inhærentes tenacius ſubie-
ctæ materiæ, quàm Dialecticæ ſubtilitati,
quod quidem multis rerum argumentis
demonſtrari poſſet, niſi breuitati ſtude-
remus, paucas tamen ſubieciſſe non pi-
gebit.

[d] Cicero, ad. Herennium.

8 Vlpianus periphraſticè ſatis Precarium
deſcribit, dum ait eſſe, *Quod precibus petenti
vtendum conceditur tamdiu, quamdiu is, qui con-
ceſſit, patitur.*[e] Definitio hæc, ſi Dialecticæ
cenſuræ ſubijciatur, cum ſubſiſtere neque-
at, nobis tamen ſufficiat Icti mentem aſſe-
qui poſſe, vt intelligamus id, de quo tracta-
tionem ſuſcepit. Et Paulus Ictus etymolo-
9 gicè tantùm definit *Poſſeſſionem*[f] *à pedum
poſitione quaſi appellatam eſſe.* Seruius *Dolum
malum* definiendo, à Labeone corrigitur,
aliaque

[e] L. 1. ff. de precario.

[f] L. 1. in princ. ff. de acquir. vel amit. poſſ.

aliaque definitio ſubijcitur,[g] qua eadem definitione & Cicero vtitur.[h] *Dolum malum* eſſe ait, *cum aliud ſimulatum, aliud actum* 10
eſſet. Nec prætereundam eſſe Iuſtiniani Imperatoris etymologicam quoque teſtamenti definitionem putamus, *Teſtamentum*[i] *enim ex eo appellari* dicit, *quod ſit teſtatio mentis*, quæ verba ex Seruij Sulpitij *lib*.2. *De Teſtamentis* ſumpta eſſe Gellius refert,[k] ab eoque Sulpitio, licet quodammodo rideatur, modeſtè tamen illico ſubijcit, *Obrepſiſſe quidem videtur Seruio, vel ſi quis alius eſt, qui prior id dixerit, falſa quidem, ſed non abhorrens neque inconcinna, quaſi mentis quædam in hoc vocabulo ſignificatio*, l *&c.* Et 12
Pauli Definitio *Furti* ad amuſſim Dialecticam examinata vt ſubſiſtat, veremur, pro generali igitur Furti deſcriptione potius quàm definitione, verba Pauli ſunt intelligenda. Idem Iuriſconſultus, *libro primo Sententiarum* ait, *Vim eſſe maioris rei impetum, cui reſiſti non poteſt*: Verba hæc Martianus pro ſe adducere voluit, cum debitorem de poſſeſsione ſua eieciſſet, inquiens. *Vim nullam feci, Cæſar dixit*,

[g] L.1.§.1.ff. de Dolo malo.

[h] Cic.lib.3.off.

11

[i] Inſtit. de teſtament: ordin. in prin.

[k] Gellius lib.5. cap.12.

[l] L.1.ff. De Furtis §. Furtū eſt. Inſt. de oblig. quæ ex delict. naſcuntur.

[l] L.2.ff. Quod vi met. cauſa geſt. erit.

13 *Tu vim putas esse solũ si homines vulnerẽtur?* *Vis est & tunc, quoties quis id, quod sibi deberi putat, non per iudicẽ reposcit*: [m] Quæ verba ad oculum satis clarè demonstrant, etiamsi supradicta Pauli definitio pro subiecto sufficiat, ad Callistrati tamen casum se non extendit: Imperator igitur hanc interpretationem, *vis*, necessariò faciendam esse animaduertit, non quidem Pauli definitionem impugnans vel reijciens, sed potius sua declaratione illustrans: vt non solùm ex hisce, sed & alijs quampluribus Iureconsultorum locis liquere nobis possit, quo candore, quaque synceritate in rebus quibusuis pro necessitate definiendis, veteres Icti vsu fuerint, quorum sanè vestigijs, si plærique institissent, neque cuncta ad viuum resecassent, multis erroribus friuolisque disputationibus ansa data non fuisset,

14 verius enim vero est, *Nimium altercando veritatem amitti*, quod Iulianus Ictus elegantissimè in descriptione Sophismatis depingit, dum ait, *Ea est* [n] *natura cauillationis,*

15 *quam Græci σόφισμα appellant, vt ab euidenter veris, per breuissimas mutationes, disputatio ad ea, quæ euidenter falsa sunt, perducatur.* Quod &

[m] L. penult. ff. Ad l. Iul. de vi priuat.

[n] Lege ea est natura ff. de reg. iur.

& Africanus, cum satis intricata subtilisq; disputatio vel quæstio ei proponeretur, declarat his verb. *Dixi,* τῶν ἀπορῶν *i. ex perplexis* 16 L. Qui quadraginta ff. ad L. Falcid.
disputatu difficilibus & dubijs hanc quæstionem esse qui tractatus apud Dialecticos ὁ τοῦ ψευδομένου *dicitur i. frustratorij & cauillatorij syllogismi.* Ex quib. verbis mentem Africani rebus 17
potius quàm subtilitati verborum inhærentem colligere possumus, ait enim. *Apud Dialecticos* q.d. Non Iurisperitos, hæc accurata subtilisq; disputandi ratio locum habere debet. Simplicitas igitur veritati & 18
legibus pamica Ictis in tantum placuit, vt subtilitatibus argutijsq; omnibus posthabitis, tali plerunque descriptione vsi sint, qua rem, quam tractandam susceperant, quàm fieri potuit, verbis synceris simplicibusque cuiuis ob oculos ponerent, quò ci- 19 §. Cæterum inst. de legit. agnat. succes.
tra fastidiũ propositæ materiæ thema percipi posset: Suntque descriptiones definitionesué eiusmodi, pro temporis, loci, rerum, circumstantiarumque emergentium qualitate; ad iuris & iniuriæ disceptationẽ finiendam, sumendæ & intelligendæ, sicuti prudentes ipsi sunt vsi, non verò quales secundum dialecticorum præcepta (ad

quos exactarum definitionem cura pertinet) eſſe debeant. Nec ſanè facultas Iuris antiſtitibus vlla defuit, ſingula, ſi voluiſſent, aptè definiendo proponere, ſcatent ſiqui-
20 dem ff. & Inſtitutionum libri [q] pulcherrimis aptisq́; definitionibus, vti videre licet ex definitione Iuſtitiæ, Nuptiarum, Tutelæ, Obligationis cæterarumq́; ſine numero: vbi verò euidentia neceſſitasq́; rei non exegit, qualemcunque rei propoſitæ notitiam, deſcriptionem vel etymologiam poſuiſſe contenti fuêre, quod ex ſupradictis abundè conſtat. Virorum igitur excelſis ingenijs præditorum exempla ſequi, noſtro ſanè iudicio non eſſet errare; Si verò erroris nomine inſtitutum hoc noſtrum notari debeat, cum Paulo, Papiniano, Vlpiano, Iauoleno, Labeone, cæterisq́; Ictis, quin & ipſo Imperatore Iuſtiniano, admiſſi erroris veniam ab his, qui definitiones cubicas vel ab omni parte quadratas exigunt, in præſenti tractatu poſtulamus. Antequam autem rem ipſam aggrediamur, hoc præmonuiſſe volumus, nos intra ſepta inſcriptionis & tituli manſuros, nec facilè ad alia diuerticula, nihil huc facientia tranſituros.

[q] ff. & Inſtit. iiſdem tit.

DE

DE RENVNCIATIONIS DESCRIPTIONE.

SVMMAE RERVM.

1. *Renunciatio quid.*
2. *Promißio libera.*
3. *Metus & Dolus.*
4. *Filia dotata.*
5. *De bonis Paternis.*
6. *De his quorum intereſt.*
7. *Quæ in fauorem familiarum fiant.*
8. *Conſuetudo iuris veteris interpres.*
9. *De Iuramenti præſtatione.*
10. *Loco iuramenti quæ.*

CAPVT SECVNDVM.

RENunctiationem igitur hanc de qua acturi ſumus, ſimpliciter ſic exponimus, *Eſſe promißionem liberam, filiæ dotatæ, de bonis paternis, maternis, fraternis, aliorumvé quorumlibet non petendis, his, quorum intereſt, cum iuramenti præſtatione in fauorem & conſeruationem familiarum factam.*

Quot

Quot quantisque dialecticis procellis hanc renunciationis descriptionem obiecerimus, non latet nos, rem tamen ipsam de qua sumus acturi, ex verbis hisce percipi posse non dubitamus, proq; maiori euidentia singula paucis explicabimus.

2 Metus vel dolus si interueniret, libera promissio dici non possit, Prætor enim ait, *Quod metus causa gestum erit, ratum non habe-*
3 *bo*, & alibi a. *Quæ dolo malo facta esse dicentur de his iudicium dabo*. b

a L. 1. ff. Quod metus causa gestum erit.

b L. 1. ff. De dolo malo.

Filias dotatas esse expedire, ait Ictus, ideo-
4 que ob varia priuilegia, Iuris codicibus passim inserta, quibus fœminæ pro exigenda dote gaudent, hæc verba sunt adiecta, cum enim ex Vlpiano constet *Dotem esse patrimonium filiæ*, c durum sane foret vllo iniquitatis vinculo eas prægrauari, iurisq; & æquitatis dotalitij concessi, defraudari.

c L. 3. §. ergo ff. de minoribus Viguit 5. annis.

In Iure feudorum generalis hæc regula solet obseruari, *Tenorem nimirum inuestituræ feudi naturæ derogare*. d Idem & in Renunciationibus hisce vsuuenit, pacta enim & conuentiones quæ legem renunciationi dant, interponi solent, ita vt expresse, quibus bonis renuncient, hîc definiri non possit,

d L. contractus ff. de reg. iur.

possit, pro tenore igitur conuentionis sumenda & intelligenda sunt. Quod autem 5
paternorum bonorum mentio principaliter hîc inijcitur, eò fit, quia de iure plæraque bona præsumuntur paterna quæ liberis relinquuntur, quamuis ipsa forma Renunciationis mentionem maternorum bonorum expressam etiam requirat, de qua suo loco dicetur.

Quibus autem personis eiusmodi re- 6
nunctiationes fiant, sequentia verba clarè demonstrant suoque loco latius explanabuntur, subijcitur enim, *in fauorem & conseruationem familiarum factam, &c.* quæ sanè per filias conseruari non possunt: Quemadmodum enim ager principalis conseruatio seminis quod in eo seritur, non est, sic quoque fœminæ principaliter stemmata non conseruant, sed adminiculi loco ad eam rem adhibentur. Illud tamen non ignorandum est, posse Renunciationē hanc ad bona sororum quoque extendi, quod vsus satis demonstrat, ipsęque Renunciationum formæ hæc docent, Iuris namque expressi est, *Omnes licentiam habere, his, quæ pro se inducta sunt, renunciare.* e

[e] L. in conscribendo c. de episc. & clerie l. si quis in cōscribendo c. de pactis & ibidem Iason. Hyppol. Singul. 361. fol. 109.

Trita

Trita iuris regula extat, qua dicitur *Odia restringi, fauores autem ampliari conuenire.* f Verùm fauor hic qui masculis tàm de iure scripto antiquo, quàm etiam consuetudinario, cui etiam hodie statur, indultus est, in tantum mulierculas plerasq; exasperat, vt clara voce cum Imperat. Iustiniano in masculos debacchari non verecundentur, affirmantes ob id eos esse naturæ accusatores. g Sed imbecillitati fœmineæ hęc asscribenda sunt, vbi ad sedem huius materiæ deuentum fuerit, rationes quæ legumlatores antiquos maioresq; nostros modernum ius consuetudinarium reducere mouerint, luculenter demonstrabitur.

f c. odia. de reg. iur. in 6.

g L. maximum vitium C. de liberis præteritis. L. lege duodecim tabul. C. de legitimis hæredibus.

8 Est itaque consuetudinarium hoc ius vel statutum, veteris iuris scripti saluberrimeq; introducti, renouatio & adprobatio, quod multis rerum argumentis demonstrari potest. Paulò antè dictum est de Tenore inuestituræ, quod deroget feudi naturæ: Idem

9 & hîc dicere possumus de iuramenti prestatione, ea enim pro tenore consuetudinis & statutorum vel adhiberi vel omitti potest, de substantia siquidem Renunciationis non est, sed adminiculi loco quandoque

solet

ſolet adhiberi, cum aliâs per literas, ſubſigillationes, ſubſignationesq́; muniri confirmariq́ue poſſit, adhibitis tantùm verbis ſolennibus, *loco iuramenti.* Eſt quippe ſepimentũ quo circumvallatur id quod actum eſt, poteſtq́; citra diſpendium animæ[h] eiuſmodi iuramentum præſtari, non tamen in tantùm valet vt omiſſum, actum, ſtatutum vel conſuetudinem inualidet. Semper tamen pro maiori cautela, in gratiam & fauorem blaterantium ſcrupuloſarumq́ue muliercularum mallemus iurari. Atq; hæc pro tumultuaria explicatione deſcriptionis definitionisq́ue noſtræ dixiſſe ſufficiant, qui pluribus delectatur, ibi poterit inueſtigare, vbi de ſtatutis, hac de re loquentibus, nimirum apud commentatores noſtros iuris agitur.

[h] c. quamuis de pactis.

DE ORIGINE ET AVCTORE HVIVS RENVNciationis.

SVMMAE.

1. *Neceßitas auctor renunctiationis.*
2. *Nobilitatis ſuppreßio.*

3. *Feuda*

3. *Feuda in dotem dantur.*
4. *Dotes cum filiabus in alias familias transeunt.*
5. *Tria constituunt omnia iura.*
6. *Interitus familiarum.*

CAPVT TERTIVM.

1 AVctorem & originem Renunctiationis huius quem constituere velimus, videamus, & certè alium nullum, nisi solam *necessitatem*, quæ licet ipsa legem non habeat, legem tamen sæpissime constituit, a Maiores namque nostri ex mera simplicitate, inter liberos indifferenter, nec habita sexus ratione vlla, æqua lance bona sua diuiserunt, non sine summo præiudicio detrimentoque prolis masculeæ. Depauperati hoc modo Vasalli, exutique propter filias, quasi omnibus bonis, ingruente bello, à Dominis ad præstanda seruitia ratione feudorum vocati, ijsdem pro feudorum exigentia vbertateque, satis, vti deceret, instructi comparere non potuerunt. Quo factum est, vt vnica hac ratione pleriq; nobilium moti non rarò armorum vsui valedicerent,

a c. quanto. De consuetudin. l. quæ propter fl de reg. iur. & ibi. Decius c. quod non est licitum de reg. iur. in Decretal. & glos. ibidem.

cerent, agriculturaq́; victum quærere mallent. Videmus insuper præclarissimarum nobilissimarumq́ue familiarum, si quando filiarum cumulatione prægrauantur, filios eò redigi, vt suppresso nobilitatis nomine, 2
ob discerpta & extenuata per immensas & innumeras dotes bona paterna, alia quæuis, vilia etiam munia subire, quo victum honestè quærere possint. Huic aliud multò pernitiosius accessit malum: Patres enim, si quando filias nuptui voluerunt elocare, nec sufficeret vnde dos satis ampla & splendida sponso numerari posset, à matribus & filiabus persuasi, feudum, inscio sæpissimè domino, multoq́; minus consentiente, dotis loco dedere: [b] Sic demum duplici grauissimoque onere pressi, non so- 3
lùm nobilitatem cum armorum vsu obscurare, sed etiam feuda, miris modis dissipata, æreque alieno prægrauata & verum nobilitatis vsusque armorum nutrimentum deserere, dominisue offerre coacti fuere. Hasce itaque prægnantes releuantesque causas, hasce filiarum crebras eloca- 4
tiones, quibus tamen cum omnibus in aliam familiam transeunt, feudorum expilatio-

[b] Vid. c 6. donare. Qualiter olim feudum alien. pot. Franci. chin. Curt. in 4. parte Titul. An feudum possit in dotem dari, cum seq. num. 93.

lationes,familiarum denique interitus miſerabiles, putasné maiores noſtros ad condenda ſtatuta,extremè neceſſariò mouiſſe? Modeſtini igitur Iℭti verbis moti,tria requi-
5 ſita, ad ius conſtituendum neceſſaria,ob oculos ſibi poſuere: Conſenſerunt enim,duris extremisque neceſſitatibus vrgentibus, ſingulę familiæ, non tantùm nobilium,ſed & aliarum,etiam maiorum dignitatum,de conſtituendis certis ſtatutis, ijsdemque
6 continuata conſuetudine confirmandis, ne dignitas familiarum prædicto modo interiret.

Et ſanè hiſce conſtituendis elegantiſſimam methodum ſupradictus Iℭtus pręſcripſit, dum ait, *Omne ergo ius, aut conſenſus fecit, aut neceſſitas conſtituit, aut firmauit conſuetudo*.[c] Ex hiſce igitur tribus fundamentis, ſtatuta familiarum, De excluſione fœmellarum, quoad ſucceſſionem vniuerſalem, conflata ſunt. De confirmatione eorundem hîc velle tractare, nihil nobis prodeſſet, quoniam ſuo loco tractabitur, vbi ad Formam deuentum fuerit.

[c] l. penult. ff. de legib.

AN

AN PER PRAEDICTA NATVRA ACCVSETVR.

SVMMARIA.

1. *Naturæ accuſatores qui.*
2. *Iura quandoq; mutari neceſſe eſt.*
3. *Leges pernitioſæ abrogandæ.*
4. *Mares fœminas alunt.*
5. *Diſsipatio familiarum vnde.*
6. *Iuſtinianus vxorius.*
7. *Conditio mulierum peior maſculorum.*
8. *Iuſtinianus Imp. nihil noui inuexit.*

CAPVT QVARTVM.

IMperator Iuſtinianus, illorum, qui na- 1
turam accuſant, quod fœmellas procre-
ârit, [a] *Maximum vitium ſe, & antiquam ſubtili-
tatē corrigere* dicit in eo, quod ſucceſſionis
ordinem antiquū ab inteſtato inter maſcu-
los & fœminas ſuſtulerit. [b] Et ſanè iuris emē
dationes laudādę ſunt, præſertim, cū natu- 2
ra ſemper de℘peret nouas edere formas. [c]
Neceſſe igitur eſt iura pro temporū, rerum
ac perſonarū qualitate, mutare, abrogare,

[a] d. l. Maximū Vitium.

[b] §. Cæterum Inſt. de leg. agnat. ſuc.

[c] l. 2. §. ſed quia c. de vet. iur. enunc.

 ipſisq́;

ipſisq; quandoque derogare: Nec ſemper vſque adeo tenaciter (præſertim vbi mutationis euidens apparet neceſſitas) inhærendum eſt legi latæ, corriguntur enim ſæ-
3 piſſime per ſtatuta & conſuetudines: Lex namque à Iuſtitia, vtilitate publica omniq; concordantia exorbitans, Reipublicæ pernitioſa eſt. d Illud ſanè conſtat, prædeceſſores Iuſtiniani feruentiſſima quoque diuturnaque bella geſſiſſe, per quæ non ſolùm iuuentus & virtus ipſorum imminuta, ſed & facultates exhauſtæ fuerunt, vt eâdem, de qua ſupra dictum eſt, cauſâ, neceſſitate nimirum moti, de legibus ſoboli maſculeæ ſalutaribus, cogitare cœperint: Naturaq; quidem comparatum eſt, vt maſculi fœmellas, ad focum crebrò deſidentes prolemque educantes, alant atque foueant. Verùm, nullam inter hoſce qui pro ara & focis in acie fortiter dimicant, & delicatulas illas crebro focum inſtruentes, aliudq; nihil agentes, differentiam velle ſtatuere, nec vllam maſculis prærogatiuam concedere, pluſquam iniquum foret. Correctioni igitur Iuſtinianeæ ſaluus ſuus honos manet, ipſamq; in loco, extra ſtatuta, plenum robur

d Iſocrates ad Nicoclem de Imperio.

robur obtinere cenſemus; In præſenti noſtra materia eatenus eam admittendam arbitramur, quatenus granum ſalis adhibeatur, generalitasque bonorum à ſucceſſione ab inteſtato ſemoueatur.

Si verò mordicus & pertinaciter verbis 5
Iuſtiniani inhærere, [e] nec rem penitius inſpicere volueris, miram ſanè familiarum diſſipationem & interitum, maximo cum totius Reipub. detrimento & clade videbis, quibus omnibus vnico hoc ſaluberrimo pharmaco facilè provideri poteſt. Illud ſanè prætereundum non eſt: conſtat Iuſtinianum omnia, quæ tam in Codice, Nouell. Conſtitutionibus, quàm Pandectis habentur, ſua [f] feciſſe, liquetque ex varijs iuris noſtri locis, quàm multa mulieribus indulſerit, quantis inſuper priuilegijs eas donârit, tantis etiam; vt ob id à plerisque Vxorius 6
nominetur, vt non immeritò mirum cuipiam videri poſſit, cur Papiniani locũ Pandectis inſeri conceſſerit, qui ait: *In multis Iuris noſtri articulis, deterior eſt conditio fœmina-* 7
rum, quàm maſculorum. [g] Verùm compilatoribus non aduertentibus, caput hoc, vt & alia nonnulla, irrepſit. Gloſſa in *d. l. in mul-*

[e] d. l. Maximum vitium.

[f] L. 1. §. d. neque ex multitudine c. de vet. iur. enuc.

[g] L. in multis ff. de ſtatu hom.

tis, enumerat quindecim ſpecies, in quibus conditio fœminarum peior ſit maſculorum, ſed non ſunt omnes, vt ex ſequentibus d. gloſſæ patet: Putamus hunc noſtrum articulum de præcluſione ſucceſſionis filiarum commodè hiſce adijci poſſe, cùm Papinianus dicat, *In multis*. Nec derogant hæc quicquam Conſtitutioni Iuſtiniani, cum manibus palpari poſſit, & textus ipſe loquatur (dum ait: *antiquæ ſubtilitatis*) an-
8 tè Iuſtinianum idem fuiſſe, quod nobis hodie hoc in caſu eſt, vt rectè dixerit Comicus ille: *Nullum eſt iam dictum, quod non dictum ſit prius*: h Conſtitutioni igitur ſæpè dictæ in loco & foro vbi viget, vti dictum eſt, locum damus. Sic demùm moderna ſtatuta per priſcum illum vſum, & antiquam ſubtilitatem renouata, nunc autem denuò confirmatata & corroborata, ſua validitate ſubſiſtunt. i Et licet à conſtitutione Iuſtinianea dicta ſtatuta aliena videantur, *multò tamen maxima ſunt, quæ propter vtilitatem rerum tranſformata ſunt*. k

h Terent. in prolo. Eunuchi.

i c. Cæterum inſt. de legit. agnat. ſucceſ. l. 1. §. ſed etſi ſeruum ff. de vent. inſpic. Inſt. de ſancto orficiano.

k Iuſtin. in præfat. Ad omnes populos. §. Tanta.

DE

DE ALIA IVSTINIANI SVCCESSORII IVris correctione.

SVMMARIA.

1. *Quatenus fœminæ olim succedebant.*
2. *Plærunque dictio.*
3. *Stantibus masculis fœminæ non succedunt.*
4. *Filiarum Salphaad postulata.*
5. *Mosaicæ leges quatenus ligent.*
6. *Mutationes iuris periculosæ.*

CAPVT QVINTVM.

SVprà visum est de tribus Papiniani requisitis, nimirum Consensu, Necessitate & Consuetudine, quæ singulatim & coniunctim ad constituendum ius & statuta necessariò requiruntur. Nunc ad Imperatorem nostrum Iustinianum reuertamur, quodque testimonium Antiquitati Vetustatiq; ipsemet tribuat, videamus, ait enim: *Cæterũ inter masculos quidẽ agnationis iure hæreditas, etiãsi longissimo gradu sint, vltro citroq; capitur. Quod ad fœminas attinet, ita placebat,*

vt ipsæ tantum consanguinitatis iure capiãt hæreditatem, si sorores sint, vlterius non capiant, masculi autem ad earum hæreditates (etiamsi longissimo gradu sint) admittantur, &c. a elegantissimam illicò subdit rationem inquiens, *quod ita constitutum erat, quia commodius videbatur ita iura constitui, vt plærunque hæ-*
2 *reditates ad masculos confluerent.* b Dictio hęc *plærunque* fœmellis inimica non est, sed eas ex aliqua parte, ad successionem admittebat, non tamen regulariter, vt infra dice-
3 tur. Vnde Angel. Aretin. ad hanc dictionẽ ait: Hinc sumptam esse rationem statutorum communiter per Italiam. Quod stantibus masculis, fœminæ nõ succedant, quia ex parte masculorum statuta sunt fauorabilia, & ex parte fœminarum sunt odiosa. c Et dubio procul ius hoc ex lege Mosaica desumptum est: Filiæ namque Salphaad, cum fratres post parentes defunctos esse viderent, proximitatis successionem sibi deberi arbitrantes, Moisen accessere, fraternamq; hæreditatem petiere, Moises Diuinarum humanarumq; legum antistes re cum suis collegis deliberata, cum forsan inter ipsos non conueniret, vtpote casum nouiter emersum,

a d. §. Cæterum Inst. de legat. agnat. success.

b d. l. 1. §. sed et si seruus ff. de Ven. inspic.

c Gloss. in d. §. cæterum inst. de leg. agnat. success. in verbo plerunq;.

mersum, & nouum ius postulare animad-
uertens, diuinum ad oraculum confugit re-
sponsumq́; à summo Deo tale retulit, *Filias*
Salphaad d *rem haud iniquam postulare, Moi-*
sen de cætero filijs Israel simili in casu talem le- 4
gem promulgare debere: Homo cum mortuus
fuerit absque filijs, ad filias eius transibit hære-
ditas, si filiam non habuerit, dabitis hæreditatem
fratribus eius patris, eritq́ue filijs Israel hoc lege
sancitum perpetua. Quod idem & Lex 12. tab.
statuit. e Verum quatenus Mosaicæ leges
positiuæ nos ligent, hîc disputare instituti 5
nostri non est. tractantur hæc ad longum
à Commentatoribus. f In præcedenti titu-
lo Imperator aliam iuris correctionem ad-
ducit, adhibito tamen grano salis, vt ex
fœmineo sexu descendentes nepotes, ad
aui materni successionem æquo iure vo-
centur, sed *cum diminutione trientis.* Hanc
moderatam tolerabilemque correctionē,
g pro rerum qualitate posse admitti, non
dubitamus, generalem autem non, cum
nimis sit rigida. Et summa ratione Maio-
res nostros, ius antiquum planè sepultum,
quasi ab inferis reuocasse & resuscitasse cer-
tum est, haud ignari quàm periculosæ sint

d Num. c. 27.

e Lege duodecim tab. c. de legitimis hæredib.

f Ias. in l. qui se patris C. vnde liberi. Coras. lib. 5. cap. 16. miscel.

g L. si defunctus c. de suis & legitimi. hæredib. l. illam c. de collat.

& fuerint ſemper pleræq; Rerumpublicarum mutationes, memores verſus illius, *Moribus antiquis ſtat res Romana viriſque*: quæ verò varias variorum populorum mutationes, ſecutæ ſint pernitioſitates, hiſtoriæ quamplures teſtantur.

DE DISCORDANTIA LEGVM ROMANARVM ET conſuetudinis ſeu ſtatuti.

SVMMAE RERVM.

1. *De diſcrepantia legum & conſuetudinis.*
2. *Vſus & mores leges vincunt.*
3. *Leges vincunt conſuetudinem.*
4. *Conſuetudo vel ſtatutum ſecludit filias à ſucceſſione.*
5. *Conſuetudo etiam irrationabilis legem vincit.*
6. *Conſuetudo legum interpres.*

CAPVT SEXTVM.

QVoniam ſuſceptũ negotium de quo agimus, principaliter Feuda ſeu beneficia militaria concernit, eaque à mera conſue-

consuetudine statutisq; dependeant, non
incongruum visum est, pauca quædam de
conflictu discrepantiaq; vtriusque hîc ad- 1
ijcere: Obertus namque ab Orto, celebris
suo tempore Ictus, consuetudinis energi-
am legibus Romanis præfert, dum ait. *Le-*
gum Romanarum non est vilis auctoritas, sed
non adeo vim suam extendunt, vt aut vsum aut 2
mores vincant. a Constantinus verò Impe-
rator, contrarium diametrale huic Oberti
sententiæ obijcit, inquiens. *Consuetudinis*
vsusué longæui non vilis est auctoritas, verùm
non vsque adeo sui valitura momento, vt aut ra-
tionem vincat aut legem. b Hîc sanè ignem 3
cum aqua commiscere, vt vtrunque in suo
vigore permaneat suamq; qualitatem reti-
neat, laboris erit haud exigui. Dictum est
non semel ex Papiniani loco c de tribus ef-
ficientibus requisitis iuris, consuetudinum
& statutorũ; Constat insuper ex regula iu-
ris generalissima, *Generi per speciẽ derogari:* d
posterius demũ ius priori præualere. e Cũ igitur
in propatulo sit, cõsuetudine legeué muni-
cipali caueri posse, vt filia dotata à successio
ne paternorũ aliorũq; bonorũ secludatur,
quod Iustin. cõstitutioni refragari f scimus.

a c.1. de feudi cognit. lib. 2.

b l.2. c. Quæ sit longa consuet.

c d.l. in multis.

d c. generc de reg. iur. in 6.

e l. non est nouum & l. sed & posteriores ff. de legibus.

f d. l. Maximũ vitium §. Sancimus & l. penult. c. de legit. hæred.

Quid

Quid quæſo patheticos clamoſosque vxorios impellit, quod clamitare non verecun-
4 denter, ſecluſionem hanc tanquam ab omni ratione & æquitate exorbitantem, naturæ contrariam eſſe? non aduertentes eò hoc fieri (ſufficiat vnicam hîc adduxiſſe rationem, reliquæ ſuo loco tractabuntur) *vt*
5 *ordinum familiarumque dignitas conſeruetur & ſalua ſit*, g quod ſanè commodius fieri non poteſt, quàm ſi maſculi lautiore & auctiore re prædit, digna ſe coniugia & opportuna conſequi poſſunt: hac ſiquidem in hæreſi ſumus; conſuetudines & ſtatuta rationabilia, quasuis etiam leges, vincere poſſe, quin immò, vſque adeo hoc ius inualuit, vt etiam quibusuis in locis & municipijs, ſtatuta contra omne ius & fas irrepſerint, quæ per longum tempus in vſu fuerunt & adhuc durant. Nec ſanè nullæ ſunt rationes quæ nos ad prædicta moueant, præſertim autem Pauli Icti auctoritas inquientis, *Optimam legum interpretem eſſe conſuetudinem.* h

g L. 1. §. ſed etſi ſeruus ff. de vent. inſpic.

h L. ſi de interpretatione ff. de legibus.

6 Si igitur conſuetudo tantæ eſt efficatiæ, vt legem ſumma cum premeditatione maturaq; conſideratione, quin & ſatis ſuffultam

tam rationibus, ab Imperatoribus & Iᴄtis latam, interpretari poſsit, quid obſtat, freta interpretandi hac auctoritate, quo minus eandem legem in caſibus nondum deciſis mutare poſsit? In caſibus verò deciſis, 6
vt in noſtra ſtatutorum materia, corrigere & interpretari? i Hæque interpretationes criſtas maiores extendere nō debent, quàm ſubiecta theſis, negotijque neceſsitas exigit, leges tamen in ſuis terminis ſuoque vigore manent, præſertim noſtro inſtituto inimicæ, *ſæpe dicta L. Maximum vitium & L. penult.* quibus inter paganos locum & robur ſuum tribuimus.

i Argumento l. de quibus ff. de legibus & ibi. gloſſ.

AN LEGES CORPORIS IVRIS, STATVTA VEL conſuetudines perimant.

SVMMARIA.

1. *Legum auctoritas generalis, ſtatutorum ſpecialis.*
2. *Generi per ſpeciem derogatur.*
3. *Vaſallus dominum deſerēs feudo priuatur.*
4. *Arma muliebria honeſta.*

5. *Lanam*

5. *Lanam facere laus mulierculrum.*
6. *Taciturnitas in Vasallo requiritur.*
7. *Mulieres plenæ rimarum.*
8. *Consuetudo à lege damnata recipi potest.*

CAPVT SEPTIMVM.

1 SIlegum Imperalium (omnes enim vniuersi corporis Iuris leges hîc intelligi volumus) auctoritatem ritè inspexeris, generales plerasque inuenies: Si verò statutorum, specialia eadem, & sæpè ad solas familias, inque ipsarum tantummodo cõmodum & incrementum, quin & sępè municipiorum collegiorumque, directa esse deprehendes: Generalitati igitur legis num vlla ratione (saluo tamen Imperialis legis
2 honore) per specialitatem a rationabilem derogari possit, videndum est. Dictum est sanè in præcedenti capite, de vnica prægnantiq; causa seclusionis filiarum à successione, nimirum vt dignitas familiarum cõseruetur: Hæc si sufficiens non est, plures adijciendæ sunt æquè plausibiles manuq; palpabiles. Et primò, Vasallus dominum
3 suum ad prelium exeuntem comitari tenetur, & si dominum in conflictu periclitantem

a d.c.generi per speciem; de reg.iur.

tē dereliquerit, feudo priuatur. b Bella autem sequi, arma tractare, cum hoste confligere, inter muliebria non possunt officia referri, quippe hisce tractandis minus aptæ sunt, quàm asinus ad lyram; Sed longè diuersissima sunt arma, quibus honestæ matronæ gloriam & honorem consequi possunt, quæ celeberrimus poeta Virgilius scito admodum carmine descripsit, dum ait: c

b Frid. Schenck §Quidominū. Quæ fuit prima causa benef. amit.

4

c Vergil. l 8. Aeneidos.

——————Cum fœmina primum
Cui tolerare colo vitam, tenuiq; Minerua
Impositum cinerem, & sopitos suscitat ignes,
Noctes addens Operi, famulisq; ad lumina longo
Exercet penso, castum vt seruare cubile
Coniugis, vt possit paruos educere natos.

5 Apud matronas siquidem lanificium quondam magnæ laudis fuit, lanamq; fecisse mulierem, probitatis & pudicitiæ signum erat. d Sed laus Superis, non videmus, quid hac in re modernis nostris mulierculis desit: certādo enim summis cū vigilijs & intentionib. hæc res perficitur. Spartā igitur suā exornent, adq; focū, postpositis bonis feudalib. maneant, aut colo cū fusis cinerib. cōmisso, armisq; indutis, Mauortia castra sectētur, & forsan beneficiorū feudal.

d Alexand. Neapol. lib. 4. cap 8.

capaces

capaces erunt. Deinde vaſallus poſt acce-
6 ptam inueſtituram à domino feudi iura-
mento aſtringitur, ſecreta ſibi à domino
commiſſa, abſque domini licentia, nemini
pandere: Cum autem quotidiana experi-
7 entia neminem non doceat, mulieres plæ-
rasque rimarum plenas eſſe, nec reticere
quicquam poſſe, vnde etiam Prouerbium
natum *Mulieres & pueros id celare quod igno-
rant*, & Catonem ad extremum vitæ hali-
tum pœnituerit, quod quicquam arcani
vnquam mulieri concrediderit; Veſanus
certè dominus eſſet, qui vaſallum talem,
vel per obliquum etiam ſalutaret, nedum
beneficio honoraret, qui non ſolùm armis
tractandis ineptiſſimus, ſed etiam tacitur-
nitatis impatientiſſimus eſſet, vt meritò is
qui ritè officio fungi non poſſit, beneficio
indignus habeatur. e Has adduxiſſe ratio-
nes ſufficiat, aliâs paſſim apud iuris interpre
8 tes eſt inuenire. ad rem redeamus. Panor-
mitanus f adſerit, *conſuetudinem etiam à lege
damnatam recipi poſſe, rationem bonam ſubiun-
gens, Si id exigat cauſa, quamuè legislatoris
intentio veriſimiliter non ſit complexa.* Mul-
tum ſanè dicere videtur D. Panormitanus,
& idem

e L. generaliter C. de epiſc. & clericis, & l. neſcimus ff. de excuſ. tutor.

f c. 2. ex de probationibus.

& idem etiam paulò antè dictum, non igitur crambe bis posita reponenda est, siqúe ex adductis sufficienter non liquet, præcedentia satis superq; demonstrata confirmataque esse, ad vsum receptissimum & vulgatissimum, qui receptus est inter illustres, generosas & nobiles personas, curiosus inuestigator recurrat, videbit, auribusque iuris statutorum vsum obstrepentem validitatem & obseruationem percipiet: huic igitur materiæ diutius immorari velle consultum non est, cum nostræ intentionis nō sit, omnes subtilitates, tricas, ambagesque hisce paucis incomptis enodare atque explicare, sed ea saltem quæ propius rem ipsam concernunt, indicare. subtilitates & cætera alijs relinquamus,

LEX POST INVETERATAM RATIONABILEMQVE consuetudinem vel statutum lata, an eandem vincat?

SVMMARIA.

1. *Lex noua post consuetudinem lata, an eam vincat.*

2. *Declaratio nihil noui inducit.*
3. *Ciuilis ratio Ciuilia iura corrumpere poteſt.*
4. *Conſuetudo cuſtodienda.*
5. *In caſu feudali non deciſo, ſecundum ius commune deciditur.*

CAPVT OCTAVVM.

1 Circa hanc quæſtionem DD. ſuis opinionibus nonnihil variant, vt gloſſ. a-it. a Ratio dubij & variationis hæc eſt, Vtrũ in genere, an verò in ſpecie, ſtatutum vel conſuetudo legem vincat. Si enim dicatur, ſtatutum ſeu conſuetudinem generalem, legem quoque generaliter vincere, durum admodum foret, cum legis finis ſit omni caſu circa ius diſponere, b argueretur igitur Iuſtinianus hoc caſu ſocordiæ, qui tamen omnia ſua fecit, c quod & huic caſui non ſatis proſpexerit. Verum non ſolùm ſatis proſpexit, ſed in vniuerſum etiam reſecare & perimere voluit. d Si verò in ſpecie, prçter declarationem nihil inferre potuiſſe, cum declaratio nihil inducat noui: e & ſic genere non ſubſiſtente ſpeciem ipſam corruere
2 neceſſe eſt. Rem hanc haud ſubtili diſtin-ctione

a L. 2. C. Quæ ſit longa conſuetudo.

b L. cum quem §. fin. ff. de iudicijs.

c L. 1. C. de veter. iur. enucl.

d Per d. l. Maximum vitium.

e L. hçredes §. Si quid poſt ff de teſtam.

ctione componi posse non dubitamus: Cōstat siquidem, ciuiles leges mutabiles esse, in tantum etiam vt lex ciuilis contraria lege ciuili lata, abrogetur: f nec enim semper eædem leges omnibus Rebuspub. expedire & respondere possunt. g Verùm in hisce quæ sunt merè Iuris Diuini, publici, naturalisué, quemadmodum lex ciuilis scripta, non facilè quicquam contrarij statuere, sic nec statutum vel consuetudo contra prædicta facilè aliquid momēti habere potest, *Ciuilis namque ratio ciuilia iura corrumpere potest, naturalia non vtiq;*. h Quod autem Iustinianus adserat, Antiquam subtilitatem, vtpote naturæ contrariam & aduersantem, se corrigere, suo in vigore relinquimus, supraque non vno in loco de eo diximus: Sed & illud constat, quod generalis, quin & specialis consuetudo, si non vniuersam legem, tamen obseruantiam legis i infirmat. Constantini Imperatoris Constitutio tantopere nos non mouet, quoniam non omnia verba absolutè posuit, dum ait, *vsque adeo*, k quæ limitationē pulchram admittere possunt. At Imperat. Alexander pulcherrimè propiusque ad nostrum accedit intentum,

f §. final. inst. C. de iur. natur. gent. & Ciuil.

g Aristot. 4. Politic. c. 4.

h §. vlt. in fin. Inst. de legit. agnat. tutel.

3

i l de omnibus ff. de legibus l. venditor §. constat ff. commun. prædio.

k d. l. 2. C. Quæ sit long. consu.

dum ait, *Nam & conſuetudo præcedens, & ra-*
4 *tio quæ conſuetudinẽ ſuaſit, cuſtodienda eſt, & ne*
l L.1 c.d.t. *quid contra conſuetudinem fiat, ad ſolicitudinem*
ſuã reuocabit præſes prouinciæ. l Fatetur Imp.
Iuſtin. ſe veterem ſubtilitatem correcturũ,
præceſſerit igitur ius vel conſuetudo, quæ
Imperatorẽ ad ferendam legem contrariã
impulerit, neceſſariò ſequitur. Rationes
m Cap.7. inſuper ſtatuti vel conſuetudinis ſuprà ſuf-
ficienter demonſtratæ ſunt, m hocque ius
ſuum robur & vigorem obtinere debere
Imper. Alexander conſtituit. n valeant igi-
n l.d.l. tur cætera. Nec prætereunda ſunt clariſſi-
mi viri Oberti ab Orto verba, qui diſcordã-
tiam iuris feudorum & legum Romana-
o Cap.6. rum, de qua & paulò antè dictum eſt, o pul-
chrè diremit, dum legibus Romanis ma-
gnam auctoritatem tribuat, & conſuetudi-
ni ſuum quoque contueatur honorem,
vult enim diſertis verbis, caſum in iure feu-
dali non deciſum, ſecundum ius Roma-
num decidi debere, ſic enim inquit, *Strenu-*
p c. 1. de feudi cognitione. *us autem Iuriſperitus, ſicubi caſus emerſerit qui*
conſuetudine feudi comprehenſus non ſit, abſque
5 *calumnia poterit vti lege ſcripta.* p Cum igitur
materia, de qua agimus, ante Iuſtinianum
Imp.

Imp. fuerit, & nunc poſt eundem per longiſſimum tempus viridiſſimè refloruerit, ſcriptarum legum ſubſidio carere, feudorumque iuri inhærere absque calumnia poterimus, quod quidem ius in tantum multis in locis in contrarium inualuit, vt absque reipub. perturbatione explodi non poſſit, quod clariſſimus & ſtrenuus vir Fridrichus Schenck à Tautenbergk pulcherrimè notat, q & etiam res ipſa loquitur. q c. 1. de feudi cognit.

DE RERVM NOVARVM CONTRA STATVTA RATIONABILIA, periculoſa conſtitutione.

SVMMARIA.

1. *Nihil ſtabile in rebus humanis.*
2. *Mutationes periculoſæ Reipub.*
3. *Vtilitas & neceßitas Reipub. mutationem requirunt.*
4. *Ius antiquum mutatum, an iuri antiquo præualeat.*
5. *Veneranda antiquitas.*

CAPVT NONVM.

1 VErum esse fateamur oportet, nihil certi perpetuiq́, in omnib. actionib. humanis esse, vsq; adeò, vt nō sine summa ratione Imp. Iust. dixerit: *Quid. n. potest esse stabile inter homines & immobile, vt nullā patiatur mutationē, cum omnis noster status sub perpetuo motu cōsistat.* [a] Hæc verba, quemadmodū Iustiniano, quo ad correctionē *sæp. d. l. Maximū vitium*, obijci, proque statutis ad rem nostram facientibus adduci, ita quoque statutis nostris haud immeritò possunt opponi. Obseruandum igitur est, vtranque partem, ob rerum humanarum fragilitatem, pari motui & mobilitati subiectam esse: Vnde dubium non est, eos demum maximis periculis sese inuoluere, multos iure suo de-
2 stituere, quin & Rempub. quodammodo perturbare, qui mutationum cupidi, nouas constitutiones erigere, veteresq; quasi ab omni rationabilitate exorbitantes, abrogare student: *In rebus enim nouis constituendis, euidens debet esse vtilitas, vt recedatur ab eo iure, quod diu visum est æquum.* [b] Et sanè vbi non euidentissima totius Reipub. vtilitas, & summa tēporis necessitudo apparet, ibi quic-

a § vt autem lex N. u. de non alienand. aut permut. reb. eccles.

b l. 2. ff. de constit. princip.

quicquã velle mutare, quàm periculosissimũ foret: Potuit quidẽ Iustin. tanquã Imp. 3 & princeps, à suis Cõsiliarijs, vt successionis ordinem hunc & modũ (qui tamẽ vetustissimus erat) mutarent atq; innouarẽt, facilè induci, *Cũ id quod principi placeat, legis vigorẽ habeat.* c Verum cum idem Imp. alibi dicat: d *Ea quæ innouata non sunt, in omnib. vetera manere debere:* d Certè mutationes (ꝙ & historię tradũt) sine periculo fieri nõ possint. Hocq; ex fundamento, maiores nostri firmati, Ius vetus (ꝙ nunc statutũ nuncupatur, cum tamen sit ipsum ius antiquũ, teste etiam ipso Iustin. e) reuocârũt, vt nulla nouitatis introductio ipsis, sed potius his qui secta cõtraria delectantur, imputari possit: Nec nouũ dici potest statutũ hoc, cum olim etiã fuerit, & à maioribus nostris reductum sit: Quemadmodũ enim ille qui spicas excutit, nouam speciem non facit, sed eam quæ est detegit: f Sic quoq; qui antiqua iura reuocant, & ad vtilem Reip. vsum reducunt, nihil noui statuunt, sed ius quod est & fuit obscuratum, detegunt, quæ enim faciunt, iure bono facere firmiter concludendum est. Nec inconcinnè controuerti posset, An iuris

c §. Sed & quod Inst. de Iure nat. gẽt. & ciu.

d Nouel. const. 20.

e In d. l. Maximum vitium.

f L. adeo quidem § cum quis ff. de acquir. rer. dominio.

4 antiqui mutatio vel correctio, ipsi iuri antiquo præualeat? præsertim cum hoc dependeat ab auctoritate Imperiali, illud verò multis nitatur rationibus, & gaudeat an-
5 tiquitate veneranda, hoc enim epitheto ius antiquum à Ictis decoratur. Sed alijs hæc discutienda relinquemus.

DE ERRORE.

SVMMARIA.

1. *Error facit ius.*
2. *Ratio est anima legis.*
3. *Barbarum seculum.*
4. *Causæ feudales quomodo decisæ.*
5. *Præeminentia masculorum à Deo ordinata.*
6. *Error excludit consensum.*
7. *Quibus olim feuda data.*
8. *Gentilshomme quis dicatur.*

CAPVT DECIMVM.

1 ERrorem ius facere, ait Paulus Ictus,[a] non tamen regulariter, *Quod enim non ratione sed errore primùm, deinde consuetudine obten-*

[a] L. 3. in fin ff. de supell. legata.

obtentum est, in alijs similibus non obtinet, ait Celsus Ictus.b Vbi igitur ratio quæ vice animæ legi præsto est, cessat, ibi & ipsa lex cessare cogitur: quamuis liqueat, consuetu- 2
dines esse, quæ nulla ratione suffultæ, nihilominus tamen suis in locis admittantur, vbi æqualiter ab omnibus obseruantur. An autem ius nostrum Feudorum, gentilitium siue statutorum renunciationis, errore sit introductum, dubitari posset. Primùm eò, quoniam illa tempora, antequam ius feudorum per Obertum & alios com- 3
pilaretur, satis fuerunt barbara, quod si nullis rerum argumentis demonstrari posset, ipsa textus vsuum feudalium verba loquerentur, nec opus est quicquam vel verbulo hîc adducere, sedulus lector videbit. Deinde ipsi quoque Vasalli, quin & Domini, meri fuerunt Idiotæ, præter vsum armorum nihil pręcipui tractare scientes: Et licet in curijs, si forsan rerum feudalium controuersiæ mouerentur, adhibiti fuerint, nudum tantummodo vsum feudo- 4
rum sciuerunt, iuxta quem plæręque quæstiones & controuersiæ decisæ fuêre, extra verò vsum hunc, secūdum ius Romanum,

b L. Quod non ratione ff. de legibus.

in casib nondum decisis, responsum fuit.c Ex hisce & similib. varia colligi possent, quę potius errorem quàm rationem huius statuti & consuetudinis originem innuerent. Verùm discretus lector diuersum sentiet, cumq; Iustin. ipso loquēte, rationemq; indicāte contentus erit, dum ait, *Quod ita constitutum erat, quia commodius videbatur ita iura constitui, vt plerunq; hæreditates ad masculos confluerent*, d de quo etiam suprà dictū est. Adde quod factor totius machinæ mundi, primùm masculum protoplasten Adam creauit; Deinde ex eodem suscitauit denuò prolem masculinā, vt facilè ex hisce colligi possit, Deum ipsum sexui masculino multū fauisse. His igitur perpensis, Maiores nostri ex instinctu naturæ coniectura facili potuerunt assequi, Ipsum primò Deum, deinde verò naturam, præeminentiam & prærogatiuam masculis attribuere. Ex hoc fonte, introducto feudorum vsu, secuta est infeudatio in masculos solos, & plerunq; in infinitum, nulla fœmellarum vel ratione vel mentione habita. Deinde inuestitionis ratio, nimirū vsus armorū ebulliuit, ex vsu deniq; armorū variæ (licet non semper honestæ)

c c. 1. de feudi cognitione.

d §. Cæterum Inst. de legit. agnat. succes.

stæ) acquisitiones, lucratiuæ tamen satis, quib. feuda aucta meliorataq;, Vasalli diuites & præpotentes, summo cũ Reip. bono, redditi fuerũt. Quid quæso præterea? cũ ex supradictis luce meridiana clarius adpareat, Ius hoc gentilitiũ seclusionis & renũciationis filiarũ, ex trib. requisitis substãtialib. quę ius constituũt, quorũ Consensus,e non est minimum, conflatũ esse. Cum igitur error cõsensum excludat,f & vice versa cõsensus errorẽ, inq; consensu nullus error locũ habeat, Ius hoc gentilitium ex errore, igno- 6
rantia vel inopinatò constitutum esse dicere velle, absurdissimũ foret. Et licet tum tẽporis omnia satis barbara cõfusáq; fuerint, beneficia tamen militaria nõ cuiuis ex populo contingere potuerunt, sed ijs tantũ- 7
modo, qui & stẽmatis claritate, & solerti armorum vsu alijs antecellerẽt, pręsertim autem in gradu nobiliũ, qui vndequaq; onus armorum æquè ac cõmodũ beneficiorum sentiunt, quoniã plæriq; horũ nobiliũ subinfeudati sunt. Hos igitur nobiles, qui feud. capaces, virtutib. & armis cõmuni populo pręppollent, Galli elegãtissimo vocabulo definiunt, appellãtes eos Gẽtilshommes .i. hone-

e l. penult. ff. de legib.

f l. si per errorem ff. de iurisdict. l. 2. ff. de iudiciis l. nihil ff. de reg. iur.

8 honeſtos, vrbanos, hilares, & nitidos, dummodo in contrarium non degenerent, aliâs cum Iuuenale dicere poſſumus: g

g Iuuenalis Sat. 8.

Stemmata quid faciunt, quid prodeſt pontice longo
Sanguine cenſeri? pictoſq; oſtendere vultus
Maiorum? Et ſtantes in curribus Aemilianos?
Si coram Lepidis malè viuitur.

Atque hæc de prima Cauſa, Efficiente nimirum, dicta ſufficiant. Secundam nunc Materialem aggrediamur.

Finis Cauſæ primæ.

CAVSA

CAVSA SECVNDA.

HActenus de ijs quæ originem causamque Efficientem instituti nostri in materia Renunctiationis & statutorum concernunt, breuiter diximus: Operæ pretium facturos nos existimauimus, si de ijs rebus, quarum gratia Renunctiationes hæ fieri soleant, vigoreque statutorum inuiolabiliter introductæ sint, pari ratione disſereremus: non enim hac in materia quæstiones personarum tam controuertuntur quàm rerum, quę etiam verè Crinomenon huius negotij dici possunt, tutius siquidem in rem quam in personam est agere.

QVAE BONA PRINCIPALITER IN RENVNCTIATIONEM HANC VENIANT.

SVMMAE RERVM.

1. *Renunctiatio ex consensu constat.*
2. *De quibus rebus Renunctiationes fiant.*

3. *Differentia inter pactũ & Renunctiationem.*
4. *Bona paterna quæ.*
5. *Papa feuda opulenta confert.*
6. *Ficti nobiles.*
7. *Viles personæ sæpè nobilitantur.*
8. *Aduocati, nobiles & milites.*
9. *Filiarum seclusio, ob existentes masculos.*

CAPVT PRIMVM.

a ſ. contractus ff. de reg iur.

Relata sunt ab initio verba Icti Vlpiani, inquientis. *Nam hoc seruabitur quod ab initio conuenit, legem enim contractui dedit.* a Cum autẽ constet, ius hoc statutorũ, cui renunctiatio instar membri adhæret, vt plæraq; cætera, consensu cõstitui, hunc suis re-
1 pagulis limitibusq; in præsenti materia determinare velle, laboriosum foret: pro cuiusq; igitur familiæ conditione, eiusué incremento & augmentatione, vel minui vel augeri potest. Illud tamen regulariter notum est, huiuscemodi renunctiationes
2 principaliter de rebus paternis fieri: Solus namq; pater ab initio à domino feudi Vasallus creatur, quamuis & filiorũ in infinitũ vsq; in inuestitura & breui testato mentio habeatur, qui in feudo duplici, inuestitionis nimirum & successionis iure succedunt.

dunt.[b] Ne tamen quiſpiam autumet, quo-
niam de Conſenſu mòdo à nobis dictũ eſt,
inter pactum & renunciationem nihil eſſe
differentiæ, cum & pactum conſenſu con-
ſtet: vtriusque genuina proprietate perſpe- 3
cta, diſcrimen facilè deprehendetur: Hæc e-
nim duntaxat perſonam eius qui ſecludit a-
liquid à ſe, reſpicit; niſi forſan in gratiam
præſentis alicuius renunciet, hoc enim ca-
ſu duplex reſpectus inducitur, renunciãtis & acceptantis: Pactum verò ſemper eſt
duorum pluriumué in idem placitũ & cõ
ſenſus:[c] Vnus enim atq; idem iuri ſuo pro ſe
introducto renunciare poteſt,[d] aſt renun-
ciationem ex iure ſtatutorum confirma-
tã, poſtea retractare velle, laboris haud exi-
gui foret: paciſci verò ſecum nemo poteſt.[e]
Renunciatio igitur ex conſenſu originali-
ter introducto, ſemoto pacto conſtare po-
teſt, pactũ autem ſine conſenſu non vtiq;: à
pacto præterea diſcedi poteſt; diuerſum au-
tẽ in renunciatione obſeruatur. & hæc ha-
ctenus. Bona autẽ paterna, renunciationi 4
noſtrę interuenictia quæ ſint, videamus. Et
reuera nõ ea tantũ ſunt, quæ bellico alioué
ſuo ſudore à vaſallo adquiruntur, ſed hæc
potiſſi-

[b] c. 11. in priu. de conſuetud. rect. feudi in vſib. feud.

[c] l. 1. in princ. ff. de pactis.

[d] l. ſi quis in cõſcribendo C. de pactis.

[e] Oldend. in Enchirid. ſuo exceptionum. de exception. contra renũciationem. Alciat. in l. 1. in verbo Iniquum C. de pactis.

potiſſimum, quæ à domino, licet Impera-
tore, Rege, Principe, Comite, quin & à No-
5 bili in inferiorem ob fidelitatem præſtan-
dam conferuntur: Papam cum raſa ſua ca-
terua hiſce non adnumeramus, licet opu-
lentiſſima feuda, quæ Sacro Rom. Imperio
per fas nefasq;, vi & dolo detraxit, hinc in-
de magnatibus diſtribuat: Et ſanè non ſine
ſumma ratione, quoniam vnico hoc vin-
culo, vaſallos ſuos tantò fortius ligare po-
teſt, quo patrimonium Petri, per ſtrenuos
& fideles protectores defendatur, de die
6 ſiquidem in diem magisque indiget. Et
hęc de verè ingenuis Nobilibus, non de fi-
ctis, pictis & titulotenentibus intelligenda
ſunt, non enim hi facilè feudum antiquum
vel paternum ſubinfeudare poſſunt, quin
ipſimet omnibus feudis deſtituti, ſolum
titulum, alij verò prouentus & res poſſi-
deant, f quique morbo hoc titulario tume-
ſcunt, noſtro quidem iudicio ſub Catonis
verſu comprehendi poſſent, dum ait: *Hoc
faciunt ſtulti, quos gloria vexat inanis*: In ſum-
ma, mundus dudum vt & nunc aliter edo-
ctus, vbi nobilitatis mentio incidit, reſpon-
7 det. *Dat cenſus honores, &c.* Et hæc in nulli-
us i-

f Eraſ. Rot. in ſuis Colloquijs de ficta nobilitate.

us ignominiam à nobis ſcripta intelligantur volumus. Vnicum hoc plærofque ſæpiſſimè mouit, quod etiam viliſſimæ perſonæ, veluti chirurgi, tibicines, organicines, nobilium nomen præclariſſimum propter ludicra quædam, cum inſignijs ſplendidis adepti fuerint; Sed Alexander Neapolitanus huius rei rationem quandam reddit, dum ait: *Deprauatis moribus, paulatim mancipes & ſcribæ, pro concione, ab Impp. veluti præcipuo munere aureis annulis donari g cœpere.* De literatis (quamuis ingenui nobiles inuiti eos admittant) diuerſiſſimum tamen ſentimus, cum & hi militibus æquiparentur. Impp. enim, Leo & Anthemius in hūc modum Callicrati reſcripſerunt: *Aduocati h qui dirimunt ambigua fata cauſarum, ſuæque defenſionis viribus in rebus ſæpè publicis ac priuatis lapſa erigunt, fatigata reparant, non minus generi humano prouident, quàm ſi prælijs atque vulneribus patriam atque parentes ſaluarent: Nec enim ſolos noſtro Imperio militare credimus illos, qui gladijs, clipeis & thoracibus nituntur, ſed etiam Aduocatos: militant namq; cauſarum patroni, qui glorioſæ vocis ſiſi munimine, laborantium ſpē, vitam & poſteros defen-*

g Alex. ab Alex. lib 2. cap. 29. genial. dier.

8

h l. Aduocati c. de aduoc. diuerſ. iudic. Tiraquell. in tractatu ſuo de Nobilitate.

dunt. Ad eandem ſententiam haud inconcinnè Cicero alludit, i dum ait, *Parua ſunt foris arma niſi conſilium eſt domi*: & licet hæc à propoſito noſtro aliena videantur, tamẽ paucis adijcere libuit, ſuum cuiq; liberum arbitrium linquentes, donec conſtet, quis primum nobilitatis nomen cum inſignijs adeptus ſit, &c. Circa bona igitur paterna potiſſimum Renunctiationes & ſtatutorũ noſtrorum materia verſatur, à quibus filiæ, donec maſculea proles ſupereſt, etiam ſine

9 renunctiatione remouentur & ſecluduntur, ob rationes prægnantes in priori cauſa adductas: quibus filiabus, in plærisq; etiam feudis, & vigor inueſtituræ, & feudi natura quamplurimum obſtat.

i Cic. lib. 1. officior.

DE BONIS MATERNIS RENVNCTIATIONI INteruenientibus.

SVMMÆ RERVM.

1. *Antipherna.*
2. *Parapherna.*
3. *Ex teſtamento deuenientia.*
4. *Induſtrialia.*

5. *Quæ*

5. *Quæ bona ex mariti bonis, ad vxorem deueniant.*
6. *Industriæ matresfamiliâs.*
7. *Marthæ solertes & sollicitæ.*
8. *Aes industriale.*
9. *Omnia ex bonis mariti vasalli prouenire.*
10. *Paupertas cogit ad turpia.*
11. *Illicitus modus quærendi victum.*
12. *Fulmen Imperatorium.*
13. *Feudorum diminutio.*
14. *Diuersa ratio filiorum & filiarum.*
15. *Viduæ statum mutantes.*

CAPVT SECVNDVM.

MAterna bona quæ sint, certò hîc de- 1
finiri non potest, habent enim fœ-
minæ Antipherna, quæ à marito vicissim
loco dotis in matrimonium adferuntur.
Simili modo Parapherna, [a] quæ mulie-
res vltra dotem sibi habent. Deinde ea,
quæ vel ab intestato, vel ex testamen- 2
to donationeué ad eas deuoluuntur. De- 3
nique ea quæ honesto vocabulo Industria-
lia vocari volunt, magno cum subditorum 4
rusticellorum sudore, duraque seruitute

[a] De quib. Frác. Cremensis. sing. 14. 2. nu. 1. Tiraquel. in tractatu suo conuentio. in fin. num. 85.

 com-

comparata, nec tamen aliunde nisi ex feudi
5 prouentibus deuenientia: Quæ sanè bona,
si vlla ex mariti bonis ad vxorem deuenisse
dici debeant, hæc solo titulo hoc insigniri
possunt: vnde haud iniuria ex verbis Q.
Mutij colligi potest, omnia quæ mulier
quærat, ex viri bonis quæsijsse præsumi. b
Materna igitur bona hæc Maiores nostri cũ
feudis, quin & allodialibus bonis, in com-
mune conferri voluerunt, ne, dum mari-
tus Vasallus, familię militiæq; sumptus & o-
nera, & solus & simul sustinere cogitur, feu-
da in maximum præiudicium & damnum
tam domini quàm Vasalli, minuantur. So-
6 lent namque industriæ matresfamiliâs ex
vbertate prouentibusque fertilium feudo-
rum, quasi peculium quoddam sibi com-
parare, quod sanè haud improbandum es-
set, si miseros rusticellos & subditos non
tam varijs & inauditis seruitutibus angari-
arent, cum tamen pleraque feuda natura
sui plura onera habeant, quàm rustici ferre
7 possint. Hæ Marthæ sollicitæ solertesque,
duro, proh dolor, subditorum labore, pin-
guissimos fæcundissimosq; agros lini satio-
ne mirum in modum exugunt, vtq; Plinij
verbis

b l. Q. Mutius ff. de donati. inter vir. & vx. l. etiã C. eod. Cremẽs. sing. suo 6. Coras. lib. 3. c. 5. Miscellan.

verbis vtamur, c(*Linum*, inquit, *vrit agrum ipsumq; deteriorem facit*) ad præparationem eiusdem lini, per mille modos ad Carbasi vsque vsum, miseros compellunt. Ex butyri caseorumque confectione, quos deinde per tertiam sæpè manum, occultè tamen, satis carè diuendunt, magnam argenti vim corradunt, quodq; omnium est pessimum, miseris domesticis & familiaribus, quorum subinde ope operaque carere non possunt, hæc quasi è faucibus præripiunt: tacemus hîc vitulos, capros, agnos, anseres, gallinas cæteraque varij generis animalcula, quę nō nisi ex feudi prouentibus ali educariq; possunt: ex hisce omnibus corrasum æs, honesto vocabulo industriale (si Dijs placet) ap- 8 pellari volunt, qua verò genuina significatione, illæ videant. Et sanè modus hic acquirendi tolerabilis quodammodo esset, quatenus sine enormi excessu, qui nimis frequens, omnia cum moderamine & decenter fierent. His itaque vndequaque per fas nefasque (absit iniuria verbis) bonis 9 corrasis, quæ aliunde non, nisi ex feudi & mariti bonis prouenisse, non tam præsumendum, quàm etiam reuera prouenisse,

c Plinius lib. 9 cap. 1.

statuendum, si filiæ in fauorem familiæ renunctient, pium eas præstare opus dubitandum non est, quo nimirum familiæ tanto honestius conseruentur. Quid enim Vasallis eorumq; filijs paupertatem magis irrogat: quàm immensæ dotes, splendida vestimenta, immodici sumptus in celebrandis nuptijs? Aliud reuera nihil, nisi paupertatem quæ ad turpia cogit: [d] quia sæpissime feuda cum allodialibus prædicto modo insumuntur & attenuantur. Multis quippe fratribus existentibus (præsertim vti hodierna consuetudo fert) vna eademq; culina parua duobus, nedum pluribus sufficere, nec pallium breue vtrunque cooperire potest, iuxta prophetam, [e] filias in causa esse, prædictas ob rationes, extra omne dubium est. Extruduntur hanc ob rem, exuti quasi filij, etiam inuiti, ad bella plusquam iniqua: deficiente menstrua solutione, ad direptiones, rapinas, deuastationesque illorum etiam, quos protegere debebant, quin & sæpe miseris annuentibus comprobantibusque inuitantur. Re vtcunq; perfecta, belloque finito, domum remeant, non pecunia sed præda onusti, prædam

[d] l.3. ff. de testibus.

[e] Esaiæ cap. 25.

prædam nactam insumunt, solutionem- 11
que promissam aliquandiu expectant, qua
cessante vel deficiente, denuò ad consue-
tas rapinas, & quo pacto ex ephippijs & sta-
pedibus victum quærere possint, sese con-
uertunt, & nisi plærosque [f] fulmen Con- 12
stitutionis Imperatoriæ publicæque pa-
cis tranquillitatis cohiberet, dubio pro-
cul totius Imperij deuastationem breui
videremus. Nec in cuiusquam odium
vel despectum hæc à nobis recensentur,
partim enim experientia non solùm nos,
sed & alios plures edocuit, partim etiam
ex ore & miserabilibus honestorum nobi-
lium querimonijs scripsimus: dictis igi-
tur veniam condignam dabunt. Diminu-
untur sanè hoc pacto feuda mirum in mo- 13
dum, magno enim sumptu & apparatu bel-
lico, vti decet homines equestres, ad bel-
la exeunt, sæpissime tamen vix vno equo,
amissis cæteris omnibus, vel pedes domum
reuertuntur, sumptus tamen hoc modo
impensi sub spe lucratiua expenduntur, &
hi, quib. fortuna fauet, quiq; parsimonia
& foro sciunt vti, honesta hinc lucra incre-
mentũq; sæpè patrimonij & feudorum nõ

[f] Hæc constit. ab Imp. Maximil. 1. An. 1495 promulgata, & ab Imp. Carolo 5. Anno 1521. Vormatiæ renouata fuit.

14 exiguum deprehendêre. Aſt in filiabus di-
uerſum, dote enim cum cæteris requiſitis
pro more patrio, ſemel tradita, nulla in æ-
ternum ſpes eſt, vt eadem ad familiam re-
uertatur, niſi ſpeciatim per pacta dotalia
vel teſtamentum præcaueatur. Haud igitur
immeritò Labeo Iᴄtus Sororem quaſi ſeor-
ſim natam definit, g ſeparatamq; ab ea do
mo in qua nata eſt, & in aliam familiam
tranſgreditur, & ſic familiæ ſuæ & caput &
15 finis eſt. h Et quemadmodum viduæ, ſi
quando ad ſecunda vota tranſeunt, ſtatum
prioris matrimonij, ſit in peius vel melius,
teſtibus i Imperatoribus, mutant: Sic quo-
que filiæ ad maritos tranſmigrãtes, omnia
ſecum ſumunt, familiam mutant, & no-
men amittunt, vt in vtraque tam virgine
quàm vidua, quo ad hunc caſum, eadem
militet ratio. Qui igitur de rebus ſuis ita
diſponunt, ne per filias extra familiam mi-
grantes, paterna, auita & cætera bona alie-
nentur, prudenter admodum faciunt, dũ
tamen fratres, qui in eiuſmodi bonis ſucce-
dunt, ſororibus recompenſationis loco a-
liquid tribuant, paterna enim bona inter
fratres communia praſumuntur k

g Gellius lib. 10 c 13. refert.

h l. pronunciatio, in fin. ff. de verb. ſignif.

i L. mulieres c. de incolis lib. 10. l mulieres c de dignitatibus lib. 12.

k l. ſiue poſſideris c. de probationibus.

DE

DE BONIS FRATRVM ET SORORVM.

SVMMARIA.

1. *Viuentis nulla est hæreditas.*
2. *Peculium quadruplex.*
3. *Dos loco legitimæ.*
4. *Bona filiarum vel sororum.*
5. *Pater suarum rerum moderator.*
6. *Ineptas bello peculij non capaces.*

CAPVT TERTIVM.

HActenus dictum est de bonis paternis & maternis renunctiationi nostræ interuenientibus: Nunc verò de ijs quæ fraternorum bonorum appellatione veniunt, videndum. Et sanè constat, viuentis 1 nullam esse hæreditatem, filius siquidem in patris potestate existens, quamdiu parens in viuis remanet; quicquid acquirit ex re parentis, non sibi sed parenti acquirit, teste Imp. Iustiniano, a ita vt ne vsumfructum quidem in ijs habeat. Videndum est igitur de ijs bonis, in quibus parentibus aut plane nihil

a §.1. cum sequenti Istit. per quas personas cuique acquiritur.

2 nihil,aut parum iuris competat. De peculio nimirum quod quadruplex reperitur. Profectitium,quod à patre vel domino purè filio conceditur. Aduentitium,quod aliunde filio acquiritur, forsan ex hæreditate materna, fratris, vel amici. Castrense, quod in militia filius acquisiuit, nec habere potuisset nisi militasset.b Quasi verò Castrense peculium est, quod ex munere publico, aut functione aliqua, operauè propria acquisiuit c Quicquid igitur filius ex quocunque prædictorum modorum vno acquirit, id ipsius filij absolutè vsque adeo proprium est, vt nec parens quicquam iu-
3 ris in hisce sibi vendicet: d multò igitur minus filia, quæ dote parentis tantummodo, quæ etiam loco legitimæ censetur, contenta viuere cogitur. Quod verò iura patrem legitimum filiorum suorum gubernatorem constituant, e quatuor prædictis peculiorum modis nihil derogat, gubernatio enim hæc de bonis tantum à patre, auo proauouè prouenientibus,non etiam de ijs
4 quæ purè filio à patre conceduntur, intelligitur Eadem ferè ratio habetur circa bona filiarum sororumuè, exceptis tamen duobus

b l. Castrense ff. de castrens. pecul.

c l.4.ff.d.t.l.vlt. C.de bon.col. lat.l. certum C. famil. ercisc.

d §.Quod nobis Inst. d. t.

e l.cum oportet C.de liberis in potestate constitutis.

bus posterioribus peculij modis, Castrensis nimirum, & quasi Castrensis. Hisce igitur omni grauamine semoto, summa cum ratione & æquitate filiæ renunctiant, quippe cum nihil ex parentum bonis in ijs reperiatur, licet in primo peculij modo à patre filio purè aliquid concedi possit, quod penes arbitrium patris est, qui suarum rerum legitimus moderator & arbiter habeatur.[f] Ne tamen alterutro fratre ab intestato defun- 5
cto, superstes frater iure suo gentilitio competenti destituatur, Maiores nostri hisce bonis filias renunctiare debere, maturè admodum statuerunt, longoq; vsu, communique applausu confirmârunt, ne, quod virtute heroica in bello per prolem masculinam acquisitum esset, ad desides ineptasque personas bello deuolueretur, extraque familiam transferretur, vt etiam in præcedenti capite dictum est.

f l. in rem C. Mandati.

DE ALLODIIS SIVE ALLODIALIBVS bonis.

SVMMARIA.

1. *Allodium quid.*
2. *Allodiorum & feudorum commixtio.*
3. *Feudum ad agnatos redit.*
4. *Verbum Hæres.*
5. *Dubia benignius interpretanda.*
6. *Per renunctiationem dubium fit liquidum.*
7. *Sagaces & prudentes maiores nostri.*
8. *Extructa ex Feudi prouentibus quo sint referenda.*
9. *Vasalli decrepiti & vxorij.*

CAPVT QVARTVM.

Restat nunc videre quæ sint bona Allodialia, quæ sanè ex ipsorum descriptio-
1 ne vel definitione aliquali potissimum petenda veniunt. Baldus *Allodium* dicit, *esse id, quod alicui sic est proprium, vt id à nemine, nisi à solo Deo recognoscat.* a Ioannes Oldendorpius ait, *Esse bona clientis beneficiarij propria ac hæreditaria.* Ex quibus facilè deprehendi potest, appellatione allodiorum, tam mobilia quàm immobilia etiam hæreditaria comprehendi, non habito vllo respectu, vnde,

a Schenck. In vsib. feudor. De allodiis.

vnde, à quo, vel ex qua cauſa, an ex teſtamento, ſucceſſione, vel donatione, aliaué quauis cauſa ad poſſidentem deueniant. 2
Hæc tamen allodialia ſæpiſſime feudis vſq; adeò immixta & coniuncta ſunt, vt neutrum ab altero ſine detrimento alterutrius ſeiungi vel ſeparari poſſit, cuius rei luculenta nobis ſunt exempla in vſibus feudorum; vnicum ſaltem adieciſſe ſufficiat, ait textus. b *Inter filiam defuncti & agnatos eius, de quodam prædio mota eſt quæſtio: agnatis feudum, filiâ verò allodium ſine libellarium eſſe adſerentibus, ſuper poſſeſſione apud quem manere debeat. Reſponſum eſt, apud filiam poſſeſſionem interim eſſe collocandam: Deficientibus verò hinc inde probationibus, per iuſiurandum, cauſa cognita, res decidetur, electione danda agnatis.*
Mira hæc res prima fronte videri poteſt, 3
præſertim cum extra omne dubium ſit, Vaſallo ſine hærede maſculo defuncto, feudũ regulariter ad proximos agnatos deuolui, non obſtantibus filiabus ex eodem parente ſeu Vaſallo ſuperſtitibus; In feudali namq; materia, verbum *Hæres*, exprimitur, de ſolis maſculis hoc intelligendum eſt: c hîc au- 4
tem ſola filia in poſſeſſione tam feudi quã prætenſi

b §. Inter filiã. Si de feudo defuncti cõtrouerſia ſit inter domin. & agn. Vaſalli.

c §. Titius. cum ibi not. per Schenck d. ti. ſi de feud. & c. I. verſic. Si clientulus de alien. feudi.

prætensi allodij, prædium controuersum puta, collocatur & manere iubetur: quod in maximum præiudicium agnatorum fieri videtur. Quod autem filia in possessione vtriusque maneat, hanc rationem esse putandum est, quoniam ob commixtionem, vti dictum est, feudum cum allodio in dubium vocatur, filia autem patri prædefuncto sola hæres legitima omnium bonorum existat, d ne si agnatis feuda cum suis pertinentijs petentibus, prædium quoque controuersum detur, sicque filia indicta causa, bonis suis destituatur, ipsa semel amissam possessionē, aut rarò aut nunquam (præsertim vbi agnati semel possessionem ingressi fuissent) recuperare posset. Consultò igitur pro filia, vt in possessione, donec per iusiurandum liqueret, qualenam prædium esset, maneret, decisum fuit,

5 *Semper enim in dubijs benigniora sunt præferenda*, e Et licet quamplurima sint, quæ ab Impp. propter sexus fragilitatem, fœminis indulta sint, quæ bono iure honestoque titulo ipsis detrahi adimique possint; propter fauorem tamen filiarum, qui latissimè patet, plurima etiam sunt concedenda.

d l. in suis hæredib. ff. de lib. & post hæred. instit.

e l. semper ff. de reg. iur.

Quam

Quàm autem releuantes causæ sint, propter quas filiæ etiam allodialibus bonis vt renunctient, Maiores nostri statuerint, ex paucis subsequentibus satis colligi potest: In adducto exemplo, feudum quod extra omnem controuersiam fuit, per prædium litigiosum in controuersiam quoque ductum, primùm renunctiatione filiæ pacatum redditur.

Deinde summa & honestate & æquitate, 6
talis renunctiatio nititur, cum per hunc modum augmentandi feuda, familiæ tantò honestius conseruentur. Postremò aduertendum est, cum tale prædium Feudo ita cohæreat, vt maturè præsumi possit, ex feudi prouentibus vel comparatum esse, vel sine feudi prouentibus non ritè administrari nec sustentari posse, quid magis ab omni æquitate semotum, quàm eiusmodi bona merè ex feudis promanantia, à suo principali & originali diuellere & alienare velle? cum per hunc quasi modum præcipuum, feuda summopere augeantur. Atque hîc videre licet solertiam prudentiamque summam Maiorum nostrorum, quamq; prouidè omnibus casibus, vt 7
salua

ſalua feudorum maneret ſubſtantia, proſpexerint: Hæc namque Renunctiatio non ſolùm in prædijs cæterisque immobilibus veluti fortalitijs, ciuitatibus & pagis, ſed et-
8 iam in mobilibus, vti vaſis argenteis, veſtibus Clinodijsque ritè commodeque fieri poteſt, de quibus infrà ſuo loco dicetur. Illud inſuper quæſtionis eſſe poſſet: Si Vaſallum amplum fœcundumq; feudum, Ducatum puta, Comitatũ aliudué poſſidentem, contingat ex prouentibus eiusdem feudi, ſubditorumque ſudore & labore, ædificium, piſcinam, vel aliud quicquam conſtruere, ita vt manifeſtum ſit, aliunde non niſi ex feudi prouentibus, ſubditorumq; ſudore, omnes ſumptus impenſasque prouenire: An talis ſtructura pro allodiali, an verò pro feudi pertinentia cenſeri debeat, & per conſequens: An Vaſallus eiusué hæredes, pro ſuo arbitrio de tali caſtro piſcinaué ſtatuere & diſponere poſſint? Et certè, ſi pace agnatorum Vaſalli, præcipuè verò domini, ſub allodiorum titulo comprehendi concedatur, res expedita eſt. Si verò pro feudi pertinentia, diuerſum eſt ſtatuendum, vt nõ ſine prægnantibus rationibus & cauſis,

ſuprà

ſuprà memorata quæſtio inter filiam & agnatos Vaſalli mota fuerit. f Verùm vt in pleriſq;, ſic hoc quoq; in caſu, exulceratiſſimo hoc noſtro ſeculo videmus accidere: Vaſalli namq; decrepitę ætatis, aut aliâs toti vxorij (præſertim autem ſi ætatis reſpectu diſpar ſit coniugiũ) vt mutuus amor retineatur, quid quæſo non faciunt? de feudorũ incremento decrementoq; parum ſolliciti. Cũ itaq; de tali caſtro fortalitioué conſtet, vnde, quib. impenſis, quorum cum labore extructum ſit, vlla certè renunctiatione opus eſſe non putamus, cum ex ſubſtantia feudi cuncta deprompta eſſe certum ſit, niſi, vti dictum eſt, inter allodia referri Dominus & Vaſalli patiantur. g

f d. ſ. inter filiã. Si de feudo defuncti. 9

g De hac re vidé pulchrã Quæſtionem. Iul. Clari lib. 4. Sentẽt. Quæſt: 88. per tot.

DE BONIS EX TESTAMENTO vel ab inteſtato ad mulieres deuenientibus.

SVMMARIA.

1. *In feudo nulla valet ordinatio.*
2. *Mulieribus ex feudo nihil relinqui poſſe.*
3. *Querulandi mulierum initium.*
4. *Differentia inter repudiationẽ & abſtentio-*
5. *Renunctiationis cõmodum. (nẽ hæreditatis.*
6. *Feuda hypothecæ loco dantur.*

F CAPVT

CAPVT QVINTVM.

FEuda ab inteſtato nulla ratione, niſi in
caſu, de quo ſuo loco dicetur, ad mulie-
res deuolui poſſe, extra omne dubiũ eſt: An
aũt ex Teſtamento, videndum. Et notũ eſt,
1 in feudo nullam ordinationẽ defuncti va-
lere poſſe,[a] in tantũ etiam, vt ne pro anima
quidem vaſallus feudum legare poſſit.[b] De
loci tamẽ cõſuetudine in feudo Franco ali-
ud obſeruatur,[c] quæ tamen ſuis etiam limi-
2 tib. circumſcepta eſt. Quicquid igitur feudũ
ſapit, nec mulieribus relinqui, neq; ab inte-
ſtato ad eas deuolui poſſe certum eſt: De ijs
igitur hoc loci tractandũ erit, quorum ſu-
prà mentio facta eſt.[d] Bonis namq; ſuprà in
cap. 2. memoratis, quemadmodũ facilè bo-
naq; fide filiæ renũctiare poſſunt, ſic noſtro
iudicio non ſemper vſque adeò prudenter
agitur, dum ijs quæ optimo iure, ſineq; to-
tius familiæ diſpendio habere poſſent, re-
nunctiant. Aut igitur familiæ honos & in-
crementum penes eas in magna æſtimatio-
ne reputationeq; habetur: aut tam ſunt vi-
raginoſę vel viripetę, vt cogitationibus aliò
diſtractis, vix tantum diſperſæ rationis hinc
inde recolligere poſſint, quò præmediten-
tur,

[a] §. Et quia vidimus. de feudis Tit. 1. & de feudi ſucceſſione. in princ.

[b] §. donare. Qualiter olim feud. poter. alienar.

[c] d. §. donare.

[d] c. 2 hac part. 2.

tur, quid è re sua sit: Sed homines sunt nec quicquam etiã humani ab illis alienum est: Hocq; est initiũ miserarum filiarum que- 3
rulandi, inuersionem nimirum naturæ ordinis in successione accusantes. His itaque bonis vt liberè & rectè renunciare, sic vt eandem prestent renunciationem, cogi nõ possunt neq; solent. Eiusmodi prætereá renunciationes haud multũ à repudiatione bonorum vel hereditatis (quę extraneis) & abstentione (quæ suis hæredibus competit) distare videntur, quòd pulchrè admodum 4
Theophilus in suis Institutionib. tractat. e

Cùm itaq; hæreditati ex testamento vel ab intestato deuenienti, de futuro renunciare receptum sit, ad eandem difficilimũ vel impossibilem filias regressum habituras, metuendum est. Quid enim si testator agnatus cognatusué tacitum grandeq́; æs alienum conflasset, agnatam autem cogna- 5
tamué (extra res feudales) in bonis, quæ saluo iure ad quemuis hæredem, etiam extraneum transferri possunt, hæredẽ instituisset, Creditores aũt, defuncto debitore pecuniam expositã repetentes, & nécquicquã reperientes, allodialib. rebus, donec ipsis satisfiat,

e §. Extraneis Instit. de hæred. qual. & differ. l. 1. C. de repud. vel abstinend. hæreditat.

Bart. pulchrè tractat hanc quæst. An filia ex testamẽto, dummodo dotata sit, succedere possit Consi. 72. incip. Ex facto proponitur.

tisfiat, incumbunt: præsertim autem vbi æs concreditum in tantā summam excreuisset, vt relicta demortui bona ad exolutionē debitorum neutiquam sufficiant, an vsque adeo temerariè & quasi stolidè renunctiasse filias quispiam autumet? Et certè nō putamus, cū multa sæpissime in fragilē hunc sexum satis captiosa periculosaq; multi machinentur. Ad euitandum igitur eiusmodi periculum, tutius filiæ renunctiant, quàm si hæreditatem suspectam æreué alieno grauatam, adeant vel sese immisceant, cui tamen periculo Imp. Iustin. satis cautè prouidit, dum hæredibus deliberandi potestatē dedit,[f] dum ait, *Extraneis autem hæredib. deliberandi potestas est de adeunda hæreditate vel non adeunda*: nec sanè ius hoc deliberādi Imperator coarctare voluit, sed in infinitum quasi extendit, ait enim in adducta L. *eam deliberationem & in omnes successores, siue cognatos, siue extraneos, duximus esse protelandam*. Nec sanè rei nouæ, quod ad hunc casum, mentionem hîc facimus: Ingenui siquidem nobiles, qui præter vsum armorū plærunq; non multa exercere solent (g *arma etenim magis quàm iura scire milites, sacratissimus*

f §. in extraneis Inst. de hæred. qual. & differ. l. eum antiquioribus C. de iure deliber. in princ.

g l. vlt. in princ. C. d. t.

tißimus legislator existimauit, ait idem Imp.) ſed continuè caſtra ſectari conſueuerunt, quod ſanè in ipſis laudandũ eſt (quatenus bella ſint licita & honeſta) quo equeſtri ſplēdori conformes in expeditionem eant, non ſolùm allodialia, ſed etiã feudalia (malè tamen, ſi ſine domini conſenſu fiat) bo- 6
na hypothecæ loco dare ſolent. Cùm autē aduerſante fortuna, vacui, haud ſine exigua iactura, reuertuntur, ſpe recuperandi, debitumque elabendi, denuò in multò grauiora incommoda per nouum apparatum bellicum detruduntur, exq; Charybdi in Scyllam incidunt, quod ſanè multi, non infima de ſtirpe nobilium prognati, magno cum ſuo diſpendio, quin & familiarum quaſi extirpatione experti ſunt.

DE VNICA SOLAQVE FILIA totius familiæ ſuperſtite.

SVMMARIA.

1. *Vnica filia quæ ſit intelligenda.*
2. *Scortatio honeſto matrimonio præfertur.*
3. *Iugum Diabolicum.*
4. *Iactus aleæ periculo animæ.*
5. *Quæ ſint cauſæ extirpationis familiarum.*

6, *Rationes ob quas filiæ in feudo inuestiātur.*
7. *Filia vnica patri suo hæres suus existit.*

CAPVT SEXTVM.

QVoniam suprà mentio facta est filiæ, quæ vnica patri hæres existens, quod tamen in possessione bonorum omnium defuncti parentis, existentia agnatorum nõ obstante, manere iussa fuerit. a De ijs filiab.

a cap. 4. hac causa 2.

1 quæ vnicæ solæq; tota per mortem absumpta familia, remanent, intelligi nunc demũ volumus. Videmus enim quàm varijs modis familiæ, præsertim nobilium, labefactentur & minuantur: Hos namque post multas expeditiones, gladius cõsumit, illos & plures quidem gula variaq; contagia absumit: alios verò, quorum conditio deploratissima, Babylonica bestia, papatus nimirum, volentes, videntes, scientes & prudentes, in Orci profundissimum hiatum detru-
2 dit. Hi siquidem miseri, irretiti tot mundi illecebris, nõ solùm honesto matrimonio, quod cuiuis secundũ leges diuinas & politicas contrahere licitum est, scortationem concubinatũq; impurissimum, omnibusq; interdictum præferre malunt, sed etiam sub

præte xtu

prætextu caſtitatis (venereæ tamen) cælibem ſe, Deoq; acceptam viuere vitam, gloriari non erubeſcunt, parum interim de animæ ſalute ſolliciti, nec etiam attēdentes, quid Ethnici, nedum Chriſtus ipſe ſaluator noſter ſeriò admonēdo dicat. Tibul.[b] n. ait:

Vos quoque abeſſe procul iubeo, diſcedite ab aris,
Cui tulit heſterna gaudia nocte Venus.
Caſta placent ſuperis, pura cum veſte venite,
Et manibus pacis ſumite fontis aquam.

[b] Tibullus lib. 2. Elegia 1.

Hi ventres, ſi quæras ex illis, qua de cauſa 3 contra conſcientiam, iugū ſeruitutis diabolicæ ſibi imponi patiantur, plauſibili (ſi dicere fas eſt) reſponſione occurrunt: Familiam aliâs ſatis numeroſam proleq; abundantem eſſe: per matrimonia bona paterna, varias in partes diſtracta, portiones admodum exiguas fieri, nec quemuis ex eadem familia ſuum honorem & reputationem pro dignitate, propter exiguos prouētus annuos, tueri poſſe: Tot inſuper ſupereſſe ſorores, maritis tēpeſtiuas, quæ omnes pro more patrio familięq; conſuetudine elocari velint. cætera ſilentio committimus: Si autem nimiū vrgeas inſtādo, vt quod reſpondeāt, nihil amplius in pharetra habeāt,

ad solam hanc anchoram recurrunt, dicẽtes, posse se diabolicæ huic confœderationi renunctiare, & abstinere, quandocunque ipsis integrum videatur. Si instantius vrgendo dicas, animam donec talis renunctiatio & abstentio fiat, præsertim si improuisa mors eam anteuertat, in summo periculo versari, quinetiam anticipando, faucibus diaboli excipi: respondent, iactandam
4 esse aleam. Et sic enumeratis hisce tribus modis, videre licet, quid familias non tam
5 Nobiliũ, quàm Comitum, quin & Principum, funditus extirpet. Tali igitur vnica solaque filia superstite, dicendũ est de ijs quæ à prædictis quodammodo discrepare videntur. Et quamuis in tali casu omnia feuda tam antiqua quàm noua, domino aperiantur, nihilominus tamen filia superstes, à domino in eiusmodi feudis potest inuestiri, propter singularem amorem & fide-
6 lia seruitia præstita parentis. cNostra sic fert opinio, quod etiam in fauorem futuri spõ si filiæ, tanquam strenui vasalli & militis, beneficia hæc tantò facilius vnicis filiabus conferantur: & reuera plurimum interest dominorum, strenuos expertosq; vasallos &

c Tit. Quemadmodum feudum ad filiam pertineat, & §. hoc autẽ. De iis qui feud. dare possunt.

& milites habere; saniori autem occasione commoditateq; eos comparare sibi, & allicere non possunt, quàm per talem filiam, ne beneficia quasi vacantia, conferantur in eos, qui officio fungi nesciant. Sicque hoc casu, sublata causa, agnationis nimirum & cognationis, effectus etiam, renunctiatio scilicet, tollitur. Filia itaque talis & suus & 9 necessarius patri suo hæres existens, d in omnia bona, præsertim autem allodialia, pleno iure succedit, non enim apparet, in cuius fauorem aut velit aut possit renunctiare, præsertim cum domino omnia feuda per mortem vasalli aperta sint.

d §. Sin autem Inst. de hæred. qualit. & differ.

DE FEVDIS FOEMINEIS.

SVMMARIA.

1. *Feuda quædam possunt esse fœminea.*
2. *Feudum matri concessum, quatenus sese extendat.*
3. *Ad masculos feuda naturâ sui pertinere.*
4. *Filias in vniuersum à feudis segregandas esse.*

CAPVT SEPTIMVM.

1 EX prædictis constat, feuda quædam etiam fœminea esse posse, præcipuè autẽ, si tenor inuestituræ idem velit: & quamuis regulariter ob existentiam masculorum, tenor inuestituræ refragetur, prædicto tamen modo, commoda ratione fieri potest, a hoc nihilominus obseruando, si matri feudum simpliciter concedatur, vt id pro se suisque hæredibus habeat, eaq; sine filijs hæredibus
2 decedat, tunc demũ filiæ succedant, & feudum iuxta originariam institutionem suum robur & vigorem exercet. b Atque hîc
3 manifestè videre licet, quę sit omnium feudorũ genuina propriaq; natura, nimirum quod omnia feuda regulariter masculorũ gratia concedantur. In hoc enim casu licet feudum fœmineum sit, & ad filias quoque deuolui possit, non tamen prius ad successionem filiæ admittuntur, nisi filij masculi nullì prorsus restent: c Quamuis non desint, qui velint, filias in vniuersum, non
4 extantibus masçulis, ab eiusmodi feudo segregandas esse, d quod tamen contra mentem & voluntatem domini foret. Hoc itaq; in ca-

a d.t. Quemadmodum feudum ad filiã pertineat.

b De feudo fœminæ in vsibus feudor.

c d.t. de feudo fœminæ.

d Iuxt. §. & si clientulus, de alien. feudi, & ibi glos.

in casu feudis & allodialibus, dote contentæ filiæ, dummodo velint, renunciare possunt, voluntas tamen hæc per statutorum programmata satis arctè constringitur.

DE PATRICIIS.

1. *Origo Patriciorum vetustißima & vnde.*
2. *Patriciatus apud Græcos maior dignitas.*
3. *Nobiles ex Patricijs originem habere.*
4. *Patriciorũ munus & proprium quoddam.*
5. *Equestris ordo vnde.*
6. *Patriciorum honor & dignitas.*
7. *Patricij renunciatione nostra nõ vtuntur.*
8. *Patres conscripti.*

CAPVT OCTAVVM.

ORiginem Patriciorum post Regum o- 1
mnium esse vetustissimam ex varijs[a]
historijs colligere alicet: Romulus siquidẽ ab vrbis Romæ initio, centum creauit Senatores, qui Patres ab honore: Patricij verò progenies eorum appellati sunt.[b] Alij cõmunes Reipub. Patres, qui in suprema dignitate Senatorij consilij censentur, esse 2
tradunt.[c] Apud Græcos tamen Patriciatus maior erat dignitas, quæ ab Imper. concedebatur, non autẽ vti apud Romanos, ex successione ad posteros trãsferebatur,[d] hũc fuisse

[a] Dionis. Halicarnas. lib. 7. antiquit. Rõ.

[b] Liuius l. 1. dec 1.

[c] Suidas.

[d] Alciat. in tit. C. de cõsulib. & non spargend. pecun. lib. 12.

fuisse putamus, quem Speculator Superillustrem, & de maximis iudicibus, nominat, e

Specul. in tit. de iurisdict. omnium iudic. vers. max.

sicuti princeps, qui patrem eum vocat, de quibus hîc non agimus, quia posteri in dignitate non succedunt e ei.

3 Ex patricijs igitur prædictis, nobilitatem originem suam habere (de quo tamen nihil certi quisquam adfirmare audet) à nonnullis adscritur, suis etiam rationibus moti. Romulum enim vrbis auctorem, populum in duos ordines distribuisse constat, Plebeium scilicet & Senatorium, horumque progeniem Patricios, illorum verò Plebeios nuncupasse. f Patricijs militiam gerere, sacra facere, ius dicere, publica & vrbana negotia ad-

f Alex. ab Alex. Gen. dier. lib. 6. cap. 18.

4 ministrare, ab omni quæstu, qui patribus indecorus visus fuit, abstinere, proprium erat. Plebeis verò militiæ & agrorum, pecorisque depascendi curam, aliasq; ingenuas

5 artes demandasse. Ex hisce duobus ordinibus, præsertim autem Senatorio, tertius, nimirum Equestris ordo prosilijt, qui medium inter Patricios & plebeios obtineret, g hisque non purpura, vti Senatoribus, sed ius aureorum annulorum, publicè tributum fuit, quo tantò facilius à Senatorib.

g d. Alex. lib. 2. cap. 29.

&

& plebeis dignosci possent. Quamuis autē ab instituto nostro alienum sit, de origine nobilitatis quicquam hîc dicere, propter vsum tamen armorum, cui tertius hic ordo vnicè destinatus fuit, extremo digitulo attingere libuit. Nihil enim multum à nostratibus Nobilibus, equestris ordinis homines differunt. ad patricios reuertamur. Et licet cum Romanorum Germanorumué patricijs, nostræ memoriæ patricij in 6
plærisque conferri non possint, nemini tamen non notum est, eos passim in liberis & Imperialibus ciuitatibus, in summo semper fuisse & adhuc honore haberi, omnesque eos suspicere. Hi Patres siue patricij, singularia sua statuta habent, quæ vsque adeo strictè obseruant, vt nulli extraneo ad eundem honorem, priuilegia & iura aditus pateat, nisi forsan ex patricio oriūdam ducat. In re igitur notoria nihil est desudandum. Renunctiationis autem nostræ, de 7
qua agimus, sunt expertes, æquali namque iure liberi parentibus (exceptis feudis) in omnia iura succedunt, quinetiam omnia in alienam familiam, absque vllo impedimento transferunt, saluis tamen pactis do-

tali-

talibus,quæ vice Renunctiationis hoc loci adhiberi solent. Id insuper in propatulo est, duxisse & ducere nostri temporis ingenuos nobiles patricias virgines,patricios verò inuicẽ ingenuas virgines nobiles:Eoq; facilius crediderimus, postquã res Romanorum auctæ fuerunt, inter equestres & patricios haud multũ differentię fuisse, teste nãq; Liuio,[h] qui Brutũ Senatorum numerum, cũ propter Tarquiniorum tyrannidẽ valde diminutus fuisset,ex primorib. equestris gradus viris,auxisse ait,vt loco centũ, tunc tẽporis trecenti haberentur Senatores, qui deinde Patres conscripti fuere dicti,nõ sine summo Rom.Reipub. augmento & bono. Hãc verò cõmixtionem moderni ingenui nostri nobiles vt plurimũ auersantur, cum tamen omnes eiusdẽ carnis & cutis simus; idq; solã ob hanc rationem, non naturalẽ sed papalẽ,quo bestia Babylonica ruinosam Petri cathedrã, tantò fortius suffulcire possit, extra enim Cerberi huius iurisdictiõnem, quæ multis ad æternam vitam aditum obstruit, hæc vsque adeo strictè non obseruantur, qui enim sis,potius,non vnde natus sis, reputandum est.

[h] Liuius lib.2. decad.1.in prin.

DE DOTE ET DONATIONE PROPTER nuptias.

SVMMARIA.

1. *Dos est patrimonium filiæ.*
2. *Solonis & Lycurgi leges contra dotes.*
3. *Aerumnæ matrimoniales.*
4. *Dos quid sit.*
5. *Dos semper apud maritum debet esse.*
6. *Dos exigua, an dos dicatur.*

CAPVT NONVM.

NVnc de patrimonio filiæ, Dote nimirum, videndum, *Dotem enim proprium ipsius filiæ patrimonium esse*, Vlpianus auctor est. a *Et dotium causa semper & vbique præcipua est: nam & publicè interest, dotes mulieribus conseruari, cum dotatas esse fœminas, ad sobolem procreandam, replendamque liberis ciuitatem, maximè sit necessarium*, ait Pomponius. b Dictis iam nunc rationabilibus Ictorum iuribus, leges Solonis & Lycurgi in vniuersum repugnant: Vetuere enim suis legib. viris dotes dare, ne sponsæ magna coniugia inirent, tenuiorisque fortunæ filiabus,

(margin: 1 · a l. denique §. ergo ff. de minoribus. · b l. 1. ff. solut. matrimon. quem. dos petat. · 2)

filiabus, hoc pacto aditus ad honesta matrimonia ineunda præcluderetur.[c] Verùm hisce posthabitis, Pauli Icti verba quæ multò sunt fauorabiliora, dum ait, *Ibi*[d] *dotem esse debere, vbi onera sunt matrimonij*, potius sunt amplectenda, cum aliâs nemini non constet, statum nostrum matrimonialem,
3 propter lapsum Adæ & Euæ, necnon & nostra peccata, plusquàm grauibus innumerisque oneribus & cruciatibus ab ipso Deo primitus institutum & cumulatum fuisse
4 & esse. Dotem autem de qua agimus, esse id quod à muliere vel eius parente, vel extraneo quouis, marito datur.[e] & quemadmodum hæc ad vxorem vel eius hæredes, sic donatio propter nuptias, ad maritum eiusué hæredes redit: *Et huius causa perpetua* (dotis nimirum) *est, cùm voto eius qui dat, ita contrahitur, vt semper apud maritum sit.*[f] Quo-
5 niam igitur semper apud maritum manere dos debeat, præsertim vbi mulier maritum morte præueniat, præ cæteris pro renunctiata haberi, extra omne dubium est, vsque adeo, vt vigore huius renunctiationis, filiæ nihil petere possint. Sin autem secus & vice versa, dos suo iure stabilita est, præsertim

c Alex. Neapol. lib. 4. cap. 8. Gen. dier.

d l. si is qui §. ibi ff. de iur. dot.

e l. si res æstima ta ff. d. t.

f d. l. t. ff. de Iu. dotium.

ſertim marito inteſtato præmoriẽte. Suntque dotes huiuſcemodi, pro conſuetudine patriæ, modo facultatum, dignitateq; perſonarum qualificatæ, intelligendæ. g D. Iaſon itaq; non ſine ratione quæſtionem hoc loci mouet, An dos exigua, dos dicatur: & Baldum referre dicit, textum reperiri cum gloſſa h qui adſerat, mulierem dotatam dici, etiamſi in vno nummo tantum dotata ſit, adeo quod ſtatutum excludens mulierẽ dotatam, habeat locum etiam in muliere in vno nummo dotata. Putaremus quidem, ſi dos pro qualitate perſonæ bonorumq; ratione, aliquo modo ſplendida eſſet, dictum ſtatutum locum habere: Sin minus, nec ſtatutum hoc caſu robur ſuum exercere poſſe. Et eſt argumentatio ex allegato textu & gloſſa, à clerico habente beneficium exiguum, vnde ſe ſuſtentare non poſſit, ad filiam exigua dote dotatam: Et quoniam legitima cum dote ſæpiſſime concurrit, vt alterum ab altero ſecerni facilè non poſſit, de legitima ſeorſim paucis agere inſtituimus.

g l. ſi ſic legatũ §. ſi mihi ff. de legat. 1.

h In c. ſi proponente de reſcriptis.

G DE

DE LEGITIMA.

SVMMARIA.

1. *Dos succedit loco legitimæ.*
2. *Arrogatus recuperat ea quæ ad arrogatorem detulit.*
3. *Quartam quoque partem bonorum arrogatoris.*
4. *Dos & donatio propter nuptias quando in legitimam computentur.*
5. *Legitima an Quartæ nomine veniat.*
6. *De dote ad fratres nihil reuertitur.*

CAPVT DECIMVM.

QVoniam ex multis rerum argumentis colligi poteſt, Legitimam cum dote, & dotem viciſſim cum legitima in præſenti noſtra materia Renunctiationis multum habere communionis, a de vtraque hîc coniunctim & diuiſim pauca dicere libuit. Præcedenti itaq; capite cum dictum ſit de ſtatuto, quod filias dotatas à ſucceſſione bonorum paternorum excludat, maxi-

a l. Quoniam nouellæ, & l. ſi quando C. de inoffícioſ. teſtam. & ibi. DD.

maximè tamen, si renunctiatio solennis (vt in præcedentibus suprà dictum est) adhibeatur. De legitima vsque adeo quod laboremus, opus non est: Iuxta communem enim theoricam, *Dos succedit loco legitimæ*, b ex contextu enim verborum d. l. colligi potest, hæredes arrogatoris, non solùm teneri hæredi arrogati restituere omnia bona, quæ arrogatus ad arrogatorem patrem detulerit, sed etiam quartam partem ex omnibus bonis ipsius arrogatoris, in qua & dos & donatio propter nuptias euentualiter, nec non omnia quæ ad arrogatum peruenire potuissent, computantur: c Dos enim & donatio propter nuptias in vniuersum sunt d æquata. D. Iason quidem cum cæteris diuersum hîc sentire videtur, à textu tamen cum alijs contrarium sententibus recedere non possumus, non enim ibi distinguit. Et tum demum dos & donatio propter nuptias in legitimam computantur, cum tractatur de successione eius qui dotauit, & non alterius. e

1

b argumento l. si arrogator §. de adoptionib. & ibid. Iason.

2

3

c d. l. quoniam nouella.

d No. de æqual. dotis & donat. §. hoc igitur. col. 7.

4

e d. l. Quoniam nouell.

Facta est insuper paulò antè mentio *Quartæ*, silentio igitur prætereundum non est,

à nonnullis dubitari, An portio legitimæ, hodie Quartæ nomine venire debeat: Nec sine ratione dubitatum fuit, Legitima enim olim erat quarta pars, deducto ære alieno, & impensis funerum, [f] liberis à parentibus relicta. Hodie verò quatuor vel paucioribus existentibus liberis, est tertia pars, si verò plures existant, dimidia pars bonorum paternorum censetur. [g] Recepti tamen styli & moris est, vt sub legitima, comprehendatur etiam Quarta. Hac, inquam, legitima vel dote contenta filia, ad reliqua bona non facilè regressum habere poterit, præsertim si renunctiauit. Nec vbiuis tanti momenti res est, etiamsi renunctiatio decenti more omissa & non facta fuisset, & parens intestatus decedens, mera bona allodialia cum filijs & filiabus reliquisset, qui ea de causa de iure scripto, propter feudorum defectum præ sororibus nullam prærogatiuam habere potuissent. Sed aie quæso, quodnam hoc incrementum dignitatis, stemmatis & familiæ foret, si filij omni prærogatiua orbati, cum sororibus tali in casu, æqua lance hæreditatem diuiderent? Filijs portionem hanc è fau-

[f] l. Papinianus §. Quarta autem ff. de inoff. test. l. cum quæritur C. eod.

[g] No. const. De trient. & semiss. §. & quod sæpe.

è faucibus præriperent, inque aliam familiam transferrent.

Honeſtis igitur dotibus pro qualitate 6
allodiorum, meritò ſunt contentæ, cum tamen cum omnibus, vti iam & alibi etiam dictum eſt, in aliam familiam tranſeant, nec facilè quicquam ad fratres reuertatur.

Finis Cauſæ ſecundæ.

CAVSA TERTIA.

CVm non solùm ipsa opusculi nostri intitulatio præ se ferat, quid sit, de quo agere instituerimus, sed etiam hactenus per singula ferè capita Renunctiationis vocabulo, eiusque materia vsi simus: ad eam negotij partem, Quæ dat esse rei, accedēdum est, Forma enim est quæ dat esse rei. a *Quæ igitur ad locum hunc tractādum necessaria nobis visa fuerint solita succinctaq; breuitate conabimur absoluere.*

a L. Iulianus §. si quis rem ff. ad exhibend. c. quia propter. de elect. l is qui quadraginta §. quadam ff. ad l. Aquil. Bald. in l. cum quis nu. 4. C. de iur. & facti ignoraut.

DE FORMA MODOQVE RENVNCIANDI.

CAPVT PRIMVM.

QVamuis plures Renunciandi formæ adduci possent, hoc tamen præstare velle, maioris laboris quàm vtilitatis foret: Breuem igitur formam quæ nihilominus suis substantialibus & requisitis necessarijs, non tamen superfluis cōstet, subiecisse sufficiat, aliter enim alibi eiusmodi renunctiationes celebrantur.

FORMA

FORMA RENVNCIANDI.

NOs Arescusa, Illustri, Generosa vel Nobili de domo, prosapia vel stemmate N. N. N. prognata: præsentibus hisce pro nobis nostrisque hæredibus singulis & vniuersis fatemur. Postquam, Diuina sic ordinante prouidentia, Illustris, Generosus vel Nobilis noster pater, nos Illustri, Generoso vel nobili Domino, Domino Ascanio N. nuptui tradiderit, nobisq; vigore pactorum dotalitiorum, quæ sub dato N. scripto comprehensa sunt, in pecunia numerata N. millia vel centena florenorũ in dotem dederit: proque familiæ domusué nostræ decore & consuetudine nos elocârit, vt benè proque sufficientia contentæ simus, hoc insuper addito, vt omni hæreditati tam præsenti quàm futuræ masculeæ proli, stẽmatis & domus nostræ in vniuersum, prout res postulat, renunctiaremus, hancq; Renunctiationem nostram, consentiente & adprobante Illustri, &c. Domino nostro coniuge D. Ascanio, iuxta ritum domus nostræ factam, scripto confirmatam, inuicem redderemus. Nos itaque pro nobis, omnibusque nostris hæredibus &

ſucceſſoribus ſingulis & vniuerſis, liberè, omniquе metu, dolo, & fraude dempto, vigore præſentium ſcientes, matura deliberataq; præmeditatione habita, vti per ſe decet & iuſtum eſt: Renunciamus omnibus bonis paternis, maternis, fraternis, necnon ijs ſolùm quæ ab inteſtato vel ex teſtamento ad prædictos Dominos in parentes deuenerunt, ſed etiam ijs quæ ex poſt facto ad ipſos deuenire poſſent, ſiue fortilitia, ciuitates, caſtra, pagi, mobilia vel immobilia: ſiue vaſa aurea, argentea, cleinodia, veſtes, vel cætera ſint, prout nunc vel in futurum domui noſtræ poſſint obuenire, Illuſtri &c. D. noſtro Patri, vniuerſis eius hæredib. particularib. & vniuerſalib. maſculis extantibus, realiter renunciamus, (his tamen nõ extantibus vel deficientibus, ius noſtrum hæreditarium expreſsè nobis reſeruamus) huncin modum, vt non ſolùm nobis, noſtris hæredibus & ſucceſſoribus, ad omne ius, actionem & petitionem in perpetuum omnis aditus, ſed etiam omnibus alijs cuiuscunque dignitatis ſint, tam iure Canonico vel Ciuili, quàm etiam extraiudicialiter, vlloue alio modo, quacunque via vel ratio-

ratione excogitari, necnon prætextu cuiusuis iuris ſubiectionis illud fieri poſſit, præcluſus ſit, ne contra noſtram hanc renunciationem quicquam attentare, machinari, vel vlla ratione moliri conentur: omni reſpectu priuilegij, reſtitutionis, diſpenſationis vel abſolutionis, ne hac in re nobis patrocinentur vel nos defendant, poſthabito. Sed omnibus & ſingulis hiſce beneficijs, in forma quæ de iure eiusdemq; conſtitutionibus optima fieri poteſt, quin & ſecundum domus ſtẽmatisué noſtræ vſum & conſuetudinẽ, in perpetuũ (vti dictum eſt) præſentibus Illuſtr. Generoſ. vel Nobil. N. N.N. renunciamus. Hiſce inſuper noſtris literis, omnibus priuilegijs, indultis, conſtitutionibus, diſpenſationibus, abſolutionibus, in genere & ſpecie, quin & cæteris quæ ſecundum iura, conſuetudines & ſtatuta, minorennibus fœminei ſexus largiuntur, vel etiam de cætero ab Imperatoria Maieſtate, vel alio quouis magiſtratu concedi impetrariué poſſent, nullo penitus excepto: præſertim autem exceptioni doli mali, fraudis, metus, necnon Conſtitutioni Renunciationis futuræ hæreditatis, quæ

neminem obligat, renunciamus. Hisce omnibus & cęteris constitutionibus, priuilegijs indultisq;, de quibus satis tempestiuè sufficienterq; edoctæ sumus, & post certificationem, nostramque bonam scientiam, hanc renunctiationem liberè præstitimus.

Etsi forsan alioqui Imperatoriæ Maiestatis potentia fulti, proprio motu per semetipsos vel alios quosuis, sub emolumēti nostri prætextu, quicquam impetrarent: hisce tamen nostris pręsentib. ea quæ impetrassent, minimè nulloq; modo nos acceptaturas, ratificaturas, neq; agnituras: Inque omnem euentū si plures quàm prædictæ Renunctiationes requirerentur, easdem hisce nostris pro nūc vt tunc, ratas esse volumus, omni fraude, dolo & malitia semota. In cuius rei maiorem fidem, sigillum nostrum appendimus, nostraq; manu propria renūctiationem hanc subscripsimus: quorum omnium vi & vigore pollicemur nosq; obligamus, cuncta & singula capita, renunctiationi huic inserta, firmiter inuiolabiliterq; nos seruaturas, ei non contrauenturas, neque cuiquam talia conanti, concessuras. Pro maiori autem plenioreque confirma-

firmatione huius nostræ Renunciationis, sub fide & dignitate Illustris, Generosæ, vel Nobilis personæ, singula & cuncta capita contentaque suprascripta, nos seruaturas promisimus, eiusdemque confirmationis gratia, iuramento super hac renunciatione in Deum omnipotentem præstito, pro more rituque Illustrium, Generosarum vel Nobilium personarum, in eandem iurauimus: Cui rei ab Illustri, Generoso vel Nobili D. nostro parente requisitus & vocatus ad hunc actum & renunciationem, testimonium sufficiens N. vel N. perhibebit. Et nos Ascanius, nostro nostrorumque hæredum & successorum nomine fatemur, quod renunciatio ab Illustri, Generosa vel Nobili nostra coniuge pro se nostrisque hæredibus, vt sæpè dictum est, nobis tanquam marito, legitimoq; coniugis nostræ curatore, nec non N. & N. præsentibus, consentientibus & annuentibus, facta sit, quam & nos, nostriquc hæredes in omnibus suprà memoratis articulis, clausulis & contentis seruaturos inuiolabiliter, promittimus, proq; maioris fidei argumento, nostro, vnà cum dilectę nostræ coniu-

coniugis ſigillo, manuumque noſtrarum ſubſcriptione, confirmauimus. Subſcripta, ſigillata & confirmata eſt Renunciatio hæc. Anno, die & loco, &c.

Quamuis autem non ignoremus, ſub raſa caterua, non ſolùm in Renunciationibus, ſed & Baptiſmo, Matrimonio, quin & ipſa Euchariſtia, quamplures ſteriles exccrandasque ceremonias adhiberi, nil tamen hiſce mouemur, cum per papalem diſpenſationem plæraque tolli poſſint, ære nimirum res moderante, nos Saluatoris noſtri ſtricta nudaque verba mouent, *Sermo veſter ſit: Eſt Eſt, Non Non,* Ideoque tanti non refert, Renunciationes haſce iuramento quandoque firmari receptum eſſe: Verùm hac noſtra ætate non vſque adeo ſtrictè hoc obſeruatur, cum ſola illa clauſula, *ſub fide Illuſtris, Generoſæ vel Nobilis perſonæ, loco iuramenti*, ſufficiat, de qua ſuo loco dicetur. Et hæc de forma Renunciandi hactenus: Quæ nunc huic annexæ ſint aliæ & requiſitæ formæ, ſolita breuitate perſpiciemus, vnico ſaltem adhuc addito.

Præcedenti in Renunciandi Forma, tres ſtatus, Illuſtrium, veluti Principum, Genero-

Generoſorum, quales ſunt Comites, Barones quoque, quos ſub eodem ſtatu collocamus, & Nobiles, introduximus. Ne autem legendo, eademq; ſæpius repetendo, lectori nauſeam moueamus, poſthac in ſubſequentibus formulis, ſub vno ſtatu, Illuſtri videlicet, omnes comprehendemus, illudque præciſè pollicemur, præter neceſſaria requiſita cuiuſque formæ, nos nihil adducturos, quia talia requiſita, in pactis, conuentionibus & promiſſis, conſiſtunt, quæ omnia realem effectum deſiderant, ne forſan matrimonijs ritè honeſteq; inchoatis, ſcrupulus inijciatur: quot enim quantisque procellis miſeriarum cruciatuumque aliâs ſaluberrimus hic, à ſummo Deo matrimonialis ordo & ſtatus inſtitutus, ſubiectus ſit, omnibus honeſtis compertum eſt. Formam igitur illam, quæ inchoato amori ampliationem, fauorem & cõciliationem præſtat, Dotis videlicet, aggrediemur. De qua admodum eleganter antiquus ille poeta Plautus ludit, dum ait: Plautus in Amphitrione.

Non ego illam dotem mihi eſſe duco, quæ dos dicitur.

Sed

Sed pudicitiam & pudorem, & sedatum Cupidinem,
Deûm metum, parentum amorem, & cognatûm concordiam.
Tibi morigera, atque vt munifica sim bonis, prosim probis.

DE DOTE SIVE DE PACTIS DOTALIBVS.

CAPVT SECVNDVM.

Forma.

NOs Diuina gratia Alexander, &c. Et nos viciſſim de eadem gratia Hector, hiſce præſentibus ſignificamus notumque facimus. Nos in nomine ſacroſanctæ, Trinæ & indiuiduæ Trinitatis; primitus autem in honorem & laudem Summi Dei, Deinceps verò in vtriusque familiæ ſtemmatisque incrementum & confirmationem, amicitiæ neceſſitudinisque propagationem & ſalutem: præmeditatè, bonaque voluntate, ſcientia, maturaquè deliberatione habita, mediãte Illuſtriſſimo Principe

cipe N. deque nostra conuentione, mutuoq; habito recessu & collatione, quæ scriptis comprehensa, De liberis nostris vtrinque matrimonialiter copulandis, nostro nimirum Alexandri filio Ascanio, & nostra videlicet Hectoris filia Arescusa, quæ omnia (vti dictum est) scriptis comprehensa extant, idque ipsis coniungendis vtrinque scientibus & consentientibus, vnanimiter ea conclusimus, quæ ex sequentibus patebunt.

Primò igitur nos Hector, iuxta ritum moremque Christianæ Ecclesiæ, filiam nostram Arescusam, Ascanio in legitimam vxorem dabimus collocabimusque, quam & dictus Ascanius pro sua legitima coniuge & vicissim Arescusa ipsum Ascanium, dum vitalis Spiritus vtriusque rexerit artus, pro suo legitimo marito habebit & tenebit. Deinde nos Hector sæpedictæ nostræ filiæ in dotem numerabimus N. millia vel centena florenorum, singulos flor. quindecim Batzios vel sexaginta crucigeros computatos: hancque summam proximis instantibus nundinis, Francofurti vel Lipsiæ, alibiué, nobis tamen ea

propter

propter redditâ quietantiâ vel recognitione numeratæ pecuniæ, vbi etiam ea, quæ præterea ad hæc requiruntur, ad ſuum effectum deducentur & expedientur, numerabimus.

Adhæc filia noſtra Areſcuſa, annuente conſentienteque coniuge ſuo Aſcanio, omnibus Paternis, Maternis, Fraternisque bonis, omnibusque quæ ex noſtra ditione proueniunt, eamque concernunt, plenè abſoluteque, prout hoc de iure requiritur, renunctiabit, omneque ius quod habet, vel ſibi competere poſſe putaret, nobis noſtrisque legitimis hæredibus, iuxta tenorem formamuè renunctiationis ſpeciatim ea de re conſcriptæ, cedet.

Nos inſuper Hector, filiam noſtram Areſcuſam dicto Aſcanio, ad locum N. cum ſuo ornatu, veſtimentis, cleinodijs, vaſis vtenſilibusq; argenteis & cæteris, pro more rituque familiæ domusq; noſtræ transmittemus.

Prænominatam ſummam N. Millenorum flor. in dotem datorum, nos Alexander pariformiter N. mille flor. refundemus Aſcanij filij noſtri nomine, eum in modũ, vt bi-

vt binæ hæ summæ coniunctæ, vel summatim duplicatoq; summã N. mille vel centũ flor. constituant, quæ annuatim de singulis viginti florenis pensionis nomine, vno floreno accepto conficiunt N. summam: Quam vterque coniugum in vsum suum conferre, vt statum & reputationem suam tanto maiori cum splendore, auctoritatẽ & honestate, vti tales personas decet, sustinere possit.

Jam locus exprimitur, vbi quotannis pẽsionis redituumque loco tot N. mille flor. colligi possint, cum cæteris circumstantijs & specificis requisitis, quæ singula hîc recensere superuacaneum esset: quia locorum & personarum dispar est ratio, qualitas & conditio, cum etiam plæraque in arbitrio & voluntate contrahentium consistant. forum hæc facilius docebit.

Addi præterea solet: Si maritus morte præueniatur, & coniugem suam viduam relinquat, quemadmodum subditi, quiq; in officijs sunt constituti, erga viduam sese gerere debeant: Si forsan redituum summa eo loci eatenus se non extenderet, vt summã N. promissorum plenè non com-

pleret, ex proximis adiacentibus locis, vel aliunde residui defectus resarciri vel refundi debet.

Si verò contingat maritum præmorientem ex tali matrimonio liberos cum vxore relinquere: vxor superstes ad locum viduitati suæ destinatum sese recipiet: liberi verò ab agnatis mariti, ordinatis & constitutis tamen prius tutoribus, educentur. Quãdiu verò relicta in statu viduitatis permanserit, vsumfructum ea propter sibi destinatum, sine omnium impedimento & contradictione, ad vitæ suæ dies retinebit.

Hisce plures solent clausulæ adiici, de defectu prouentuum annuorum loci viduitati destinati, de ijs etiam omnibus, quæ vidua secum eò transferre, & quid in loco destinato reperire debeat: Totius nimirum anni prouentus & fructus præcollectos in futurum annum consumendos, & hisce omnibus à liberis seiuncta & separata erit.

Ad vtensilia quod attinet: Si ea quæ vidua in sibi destinato loco reperiret, ad necessarium vsum non sufficerent, agnati & proximi defuncti mariti defectum hunc ita supplebunt, vt vidua contenta esse possit.

Si

Si forſan domicilium viduale vetuſtate aliaué occaſione ruinoſa redderetur, ipſa verò vidua idem domicilium ſartum tectum tueri non poſſet, agnati mariti illud præſtare tenentur, aut ſi malint, cum ipſa vidua de certa pecuniæ ſumma in hunc vſum cõuertenda paciſci poſſunt, vt ipſamet domicilium reficiat & tueatur.

Pertæſæ viduitatis, ſi quando ad ſecunda tranſeunt vota, agnati defuncti mariti, liberam facultatem habent, domum viduitati dicatam cum ſuis pertinentijs tanta ſumma redimere, quantam vidua dotis nomine in matrimonium contulerit. De donatione verò propter nuptias, nihilominus retinebit annuam penſionem hoc pacto, vt ſummã dotis cum iam dicta penſione donationis propter nuptias, ad dies vitæ poſſideat: poſt obitum verò viduæ, prædicta omnia ad maritum eoſq; liberos quos ſtante matrimonio procrearunt, vel horum hæredes, redeunt.

Liberi ſecundi matrimonij, ſi poſt mortem matris ſuperuixerint, cum prioris matrimonij liberis in bonis maternis, quo-

ad dotem reliqua æqua lance ſuccedunt: Deficientibus liberis, parentibusque hinc inde vita functis, ſumma dotis ad patrem & agnatos vxoris: propter nuptias verò donatio ad patrem & agnatos mariti redibit.

Aſſecurationis loco domicilium viduitatis, cum ſuis pertinentijs, hypothecæ loco tam diu manet, donec hæredibus omnia ſunt ſoluta, munitionibus tamen, bombardis & reliquis ad bellicum apparatum, & defenſionem aptis, exceptis. Vinum & frumentum, quod mortè poſtremè ſuperviuentis in domo deprehenſum, ab hæredibus verò repertum fuerit, integrum indiuiſumq; in domo permanebit.

Præmoriente vxore ſine liberis, apud maritum prædicto modo pecunia in dotem collata ad dies vitæ manebit: ipſo verò marito defuncto, eadem pecunia ad proximos hæredes vxoris recidet.

Aes alienum ſtante matrimonio, vtroq; adhuc viuente conflatum, maritus iuxta tenorem literarum obligatoriarum, exoluet. Quod verò vxor, poſtquam poſſeſſionem viduitatis occupauit, contraxit, id pro-

Proximi hæredes, ad quos pecunia dotalis cum cæteris recidit, persoluent.

Vltra hæc omnia vsu receptum est, vt maritus vxori suæ, cum prima nocte vlnis suis eam amplexus est, N. millenos vel centenos florenos, amicabilis compensationis recreationisué gratia numeret, quam pecuniam nos vernacula nostra lingua Morgengab appellamus, latinè verò dicimus remunerationem matutinam. Hanc pecuniam, si non in numerata pecunia, tamen alijs rebus vel redditibus supplere potest, liberaque vxori in ea conceditur administratio, in tantum, vt de hac liberè disponere, eamque cuicunque velit, etiam extraneo, donare, legare, vel tradere possit. Si verò vxor sine liberis intestata decesserit tali pecunia vel alia re relicta, eadem ad maritum eiusué hæredes reuertitur: parentes tamen siue agnati, hanc pecuniam matutinamué donationem, si forsan alij legata vel donata esset, in eodem pretio reluere possunt, dummodo eiusmodi reluitio trimestri temporis spatio antè denunctietur: Salua facultate addendi, detrahendi, minuendi. Quæ omnia, vt suprà dictũ est, praxis & forũ docebunt.

Nos itaque præfati, nimirum Nos Alexander, pro nobis nostroque filio Ascanio, & Nos Hector N. sub fide veritatis, principibusque viris digna, inuicem promisimus, contractum hunc matrimonialē, in omnibus suis clausulis, punctis, & articulis inuiolabiliter seruaturos, eiq; staturos, inq; effectū daturos bona fide omniq; dolo & impostura remota. Inq; maiorem fidem & securitatem, sæpedicti nos principes Alexander & Hector, proprijs nostris manibus cōtractum hunc matrimonialem subscripsimus, nostraque sigilla appendimus. Quæ singula & cuncta, acta, gesta, tractata & consummata sunt, in Ciuitate N. Calend. Ianuarij, Anno virginei salutarisq; partus supra sesquimillesimum, decimo: præsentibus N.N.N.

Alexander. Hector.
N.N.N. subscripserunt.

DE SPONSALITIA LARGITATE.

CAPVT TERTIVM.

FORMA.

NOs Diuina gratia Alexander, &c. Fatemur notumque facimus hisce præsentibus, pro nobis nostrisque hæredibus cunctis. Posteaquam in tractatu pactorum dotalitiorum, inter dilectum nostrum filium, eiusque dilectam coniugem Arescusam conuentum sit, vt nomine memorati nostri filij Ascanij, dictam eius coniugem N. mille florenis, singulis in 15. Batzios vel 60. crucigeros computatis, pro Sponsalitia largitate remunerare, ipsamque Arescusam pro qualitate rei, tam dictæ summæ capitalis, quàm etiam reddituum annuorum, certam reddere velimus, vt de singulis viginti flor. vnum flor. annuatim pensionis loco percipere posset, omnibus iuxta formam & tenorem pactorum dotalitiorum dispositis. Quod ea propter, pro nobis nostrisq; heredib. dictę Arescusę filij nostri cōiugi, de N. mille fl. & N. mille [vel centum fl. annuarū pensionum eiusdē valoris prospicere, ipsamq; certā vtriusq; summę reddere

 veli-

velimus, quod etiam virtute vigoreq; pręsentium in forma omnium optima præstantissimaque, patria pro consuetudine vim & efficaciam habere potest & debet, hisceque præsentibus facimus, nimirum de illis vel illis bonis.

Hîc nominatim & specificè inserenda sunt bona cum suis qualitatibus. Deinde etiam exprimendum, per quas personas, & quo annuo tempore, pensio numerari debeat, eaque tamdiu, quamdiu Arescusa vixerit. Post obitum verò, eius hæredibus, ęumuéin locum, in quem ipsa talem pecuniam destinauerit numerandam, reddita tamen recognitione vel quietantia acceptæ pecuniæ: hæcque omnia sine vllis impensis, impedimentis obstaculisué quibuscunque.

Quique iam dicta bona nostro nomine tenent, gubernant administrantque, eodem iuramento quo nobis deuincti sunt, vt eandem fidem & diligentiam in porrigenda Arescusæ pecunia adhibeant, hisce obstringimus absque omni dolo & fraude. Sæpedictam insuper Arescusam filij nostri Ascanij coniugem in prædicta bona, omnia-

mniaque eorundem pertinentia & redditus hoc pacto immittimus, Si forsan (quod tamen abominamur, nullatenusque admittere debemus) sæpedictæ Arescusæ, eius hæredibus, vel cuicunque Sponsalitiam largitatem hãc dederit vel legauerit, quotannis pensio soluta non fuerit: Integrum ius, facultatem & potestatem habebit, prædicta bona cum omnibus pertinentijs, vtendi, vsucapiendi, & vsurpandi eodem modo, quo nos Alexander hoc præsenti tempore vtimur fruimurque, idque tam diu, donec omnia reliqua cum impensis retardatæ solutionis perpessis, exoluantur: quæ omnia etiam, moderni administratores vt præstent, ipsis mandamus. Durante insuper tempore non solutæ Sponsalitiæ largitatis, nequaquam nos Alexander nostriué hæredes, vlla ratione modoué, prædicta bona vlterius oppignorare vel grauare debemus. Sique in euentum sæpedicta bona eorumque adhærentia & pertinentia in decrementum abirent, vel nostris de manibus exire contingeret, quod ea de causa sæpè nominata Arescusa, eiusué hæredes vel successores N. mille flor. capitalis & N.

mille vel centum fl. pensionum percipere nō possent, neq; ēt satis assecurati essent: In hunc euentum hocq; emergente defectu, nos Alexander nostriq; hæredes alia bona, de quib. omnia reliqua resarciri possint, in priorum bonorum ad alios deuenientium loca, surrogare, ipsosque certos & securos reddere debemus: hoc tamen nobis reseruato & excepto: Si forsan nobis nostrisué hęredib. integrū & commodū visum fuerit. sæpedictam summā N. fl. capitalis cum N. fl. pensionis reluere, ab ipsaque Arescusa eiusué hæredibus vel quolibet alio tenente, paratamq; vtranq; summam tám capitalis quàm pensionis, quin & omnium aliarum impensarum & damnorum perpessorū supradicti pretij & valoris numerauerimus: nos nostriq; hæredes N. mille flor. capital. & N. mille pensionis, sæpedictæ Arescusæ vel cuilibet bona hæc possidenti, de cætero amplius soluere non tenebimur, sed erit ipsis hoc pacto pro largitate spōsalitia satisfactū: Nos præterea, noster filius Ascanius, nostriq; hæredes, vnà cum bonis liberati, quin & hæc nostra literarū obligatio cassata & annullata esse, nec amplius nos obligare,

gare,nobisq; in manus noſtras reſtitui debet,nihilominus tamen, Nos, filius noſter Aſcanius, noſtrique hæredes, reluitionem hanc,trimeſtri temporis ſpatio antè, Areſcuſæ, eius hæredibus poſſeſſoribusué quibuscunq; prænunctiabimus.

Omnia hęc præmemorata,Nos Alexander pro nobis,noſtris hæredib, & ſucceſſoribus pollicemur & promittimus, ſub fide principe viro digna,ſynceré,firmiter inuiolabiliterq; ſeruaturos effectuique daturos, nec in contrariũ noſtrumué commodũ & emolumentum, neq; etiam in præiudiciũ & damnum ſæpedictæ Areſcuſæ eiusq; hæredib. vllum priuilegiũ, ſtatutum, conſuetudo,ritus, Regia aliaué pax publica, reformatio,abſolutio, vllumué aliud impetratum vel impetrandũ, vlloué motu datum, nos tuebitur,nobisué patrocinabitur, quia omnibus & ſingulis, quæ hiſce contraria poſſent eſſe, in vniuerſum vigore virtuteq; harũ literarũ renunctiauimus & renũctiamus,omni dolo,fraude & impoſtura ſemota.Inq; huius rei maiorem fidem,propria manu nos ſubſcripſimus, noſtrumque ſigillum appendimus.Datum Rom.

DE

DE DOTALITIO, SIVE DE DOMO FVNDOVE VIduitati destinato.

CAPVT QVARTVM.

NOs Alexander Diuina gratia: Fatemur notumq; facimus omnibus hisce præsentibus. Postquam familiaritas, amicitia matrimoniumque inter filium nostrum dilectum Ascanium, & Illustrissimã principissam Arescusam, Illustrissimi principis Hectoris, cognati, adfinis & soceri nostri filiam legitimam, contractum compositumque sit, eaque propter pacta dotalia huius insequentis exordij: Nos Alexander Diuina gratia, &c. Et nos vicissim de eadem gratia Hector,&c. desinentia finientiaque, Calend. Ianuar. Anno virginei salutarisq; partus 1500. conscripta, constituta, & vti res hæ requirunt, exarata sint, quæ inter cætera continent, Quo pacto prædictæ D. Arescusæ, tam de N. mille flor. dotis nomine allatis, quàm de N. mille fl. donationis propter nuptias, quæ summatim N. mille capitalis, N. verò mille annuæ pensionis faci-

faciunt, de Dotalitio, siue loco, in euentū, viduitati congruo nomine supradicti nostri filij Ascanij prospiceremus, nostrisque promissis staremus hunc in modum, vt demum post hæc omnia, Sponsalia nimirum, deductionem iuxta ritum ordinationemque Ecclesiæ Christianæ ad templum, subsecutumque coniugalem amplexum & cōcubitum, pactis & promissis nostris satisfaceremus, eaque adimpleremus: Dotalitiū, locumué residentiæ viduali dicamus destinamusque, quin & assecuramus Dominæ Arescusæ, filij nostri Ascanij legitimæ coniugi, prædictorum N N. mille florenorum dotis & donationis propter nuptias capitalis summæ, & N. mille annuæ pensionis loco: deliberatè, vi & vigore præsentium literarum. In arce & ciuitate nostra N. cum omnibus pertinentijs, &c.

Quæ pro personarum & loci qualitate hîc inserenda sunt, quamuis quandoque nonnulla referuentur & excipiantur, quæ in arbitrio cuiusuis linquimus.

Quæ omnia secundum communem taxam & calculationem faciunt & constituunt N. mille fl. pensionis, quemadmodum specia-

ſpecialem articulatamque deſignationem & regiſtrum ſub noſtro ſigillo edidimus, vnaque cum hiſce tradidimus, hunc in modum exordientem: Nos Alexander Dei Gratia: Fatemur notumq; facimus cunctis: finientem; Data die Lunæ N. Decemb. Anno 1500. Tradimus inſuper harum deſignationum exemplar vnum D. Areſcuſæ eum in finem, vt, quamprimum filius noſter Aſcanius animam efflârit, (quod tamen omnipotens in annos Neſtoreos differre, proq; diuina ſua voluntate, animæque filij noſtri ſalute benignè clementerq; diſponere velit) dictum Dotalitium occupet; vbi in omnibus tantum reperire debet, quantum pro ſuſtentatione victus annui alimētorum requiruntur & ſufficere poſſint. Sin autem, hæredes noſtri defectum omnem refundere & reſarcire tenebuntur: hocque ſuo Dotalitio, Arce nimirum Ciuitateque cum omnibus pertinentijs, pro ſuo arbitrio, voluntate, iure, libertate, & conſuetudine Dotalitiorum, vtatur, fruaturque. Ipsâ verò Areſcusâ defunctâ, hæredes eius nihilominus prædicta bona dotalia tamdiu poſſidebunt, hypothecæuè loco

eis

eis manebūt, donec N. mille flor. dotis nomine allati, proximis eius hæredibus sint exoluti: omnia iuxta tenorem pactorum dotalitiorum, ea propter confectorum. Hîc denuò alia quædam inseri possunt.

Ita tamen omnibus vtetur & fruetur, ne per vsumfructum, vel potius abusum, pertinētia dotalitij destruantur pessumué eant.

Sequitur nunc dispositio & ordinatio quædam, quemadmodū sese gerere debeāt hi, qui à patre Alexandro præfecturis & officijs sunt præpositi, idque tam ratione iuramenti, quàm administrationis, videlicet. Si contingat filiū nostrum vita defungi, Arescusaque Dotalitium sibi destinatum occupare, eoq; vti fruiq; velit, vt illud Arescusæ tradant, eique dicto imperioq; præsto & obedientes sint, omnia secundum horum & pactorum dotalitiorum tenorem, quemadmodum etiam specialia mandata officiarijs nostris insinuari curauimus. Præter hæc Arescusa, dum dotalitium hoc possidet, facultatem potestatemque habebit, omnia beneficia ecclesiastica, vacātia tamē, & ad hoc dotalitiū pertinentia, concedēdi, consensūq; permutandi, largiendi, in tantū

& ea-

&eatenus, quatenus & nos, noſtrique hæredes,pro tempore hoc concedere largiriq; poſſumus. Equeſtris verò ordinis nobilesque homines in eodem diſtrictu commorantes, nobis parebunt, noſtraque iuſſa capeſſere tenebuntur. Cumque eum in ſtatum res deductæ fuerint, & Areſcuſa prædicto modo, dotalitiũ ſuum occupare poſſidereque velit, ſubditos omnes tam eccleſiaſtici quàm ſecularis laiciué ſtatus & conditionis, in ijs priuilegijs, iuribus introductisque conſuetudinibus, quibus ſub noſtra iurisdictione vſi ſunt, permanere ſinet, nullatenusque à priſcis moribus vſibusué arcebit, vel nouis ritibus moleſtabit. Poſt obitum inſuper filij noſtri Aſcanij, dicti dotalitij arcisué portæ, æquè ac in cæteris ſuis adhærentibus, nobis erunt patulæ: Cenſum prouincialem exigere cum cæteris nobis reſeruamus: hoc tamen moderamine, vt apertura liberué prædictus aditus ad dictum dotalitium, noſtris ſumptibus, ſineque omni detrimento & diſpendio Areſcuſæ fiat: Si verò per hanc aperturam, liberumué noſtrum ingreſſum vel aditum per nos noſtrosque hæredes, Areſcuſæ dotali-

tio per

tio per incendium aliudué inconueniens, damnum vllum contingeret, Nos, nostriq; hæredes damnum hoc per nos vel nostros illatum, cæteris bonis eiusdem qualitatis reparare & restituere tenebimur, idque spatio semestris temporis. Nihilominus tamen sæpedicta Arescusa, durante possessione dotalitij sui cum pertinentijs eiusdem, nemini idem aperiet, neque in protectionem potestatemué vel vllã confœderationem, absque nostro nostrorumque consensu, voluntate & permissu, sese implicabit insinuabitque, præsertim autem si eiusmodi homines nobis potentia præpollerent. Nullo insuper ære alieno dotalitium suum vllo pacto onerabit. Arcem præterea locumué dotalitij, durante possessione sua, sartam tectamque tuebitur: Ad ædificia verò de nouo ex fundamento extruenda, Arescusa non erit adstricta. Redditus prouentusq; ad dotalitium pertinentes, si pignoris hypothecæué loco onerati essent, hisce filij nostri Ascanij coniunx Arescusa minimè molestabitur, sed nos, nostrique hæredes, de alijs nostris bonis absque damno & impensis eius, hos reluemus. Offi-

ciarijs verò in dotalitio degentibus, ſicubi caſus ſic emerſerit, ad dies vitæ & poſt ipſorum obitum, qui dotalitium hoc loco N. mille fl. dotis occupant, pro more rituque ſtipendijs ꝓuidebit, ipſisq; ſoluet. Nos verò noſtriq; hæredes neutiquã hiſce moleſtari debemus. Siq; forſan facta reductione omnium cenſuum & prouentuũ dotalitij, ad ſummam N. fl. dotis, & N. mille donationis propter nuptias, eandem non adęquarẽt, neq; in tantũ ſeſe extenderent: Nos noſtriq; hæredes hunc defectum de alijs noſtris bonis ad ſufficientiam ſupplebimus, aliaué ad loca ibique colligenda remittemus, ſuperque his ſcripta inſtrumenta & documenta dabimus. Poſito inſuper quod Dotalitium Areſcuſa retinere non poſſet, quacunque ratione illud etiam accideret, ipſaque huic inconuenienti reiué moleſtæ nullam præbuiſſet occaſionem: Nos noſtrique hæredes tenebimur obligatique erimus D. Areſcuſæ aliud dotalitium, eiuſdem bonitatis vbertatisq; prouentuum annuorum, pariter etiam Socerum noſtrum Hectorem, ratione retrocadẽtis pecuniæ dotalis N N. mille fl. pro exigentia rerum intra ſeme-

ſtre

ſtre temporis ſpacium absque periculo & dolo contentos & certos reddere,&c.

Hîc nunc repetuntur ea, quæ in pactis dotalibus & ſponſalitia largitate tractata ſunt, vt non opus ſit ea omnia hîç denuo ſub incudem reuocare. In ſumma breuiter hîc illorum facienda eſt mentio, quaſi de verbo ad verbum recenſerentur.

Quapropter promittimus & pollicemur ſub fide principali, pro nobis noſtrisq; hęredibus, cunctisque noſtris ſucceſſoribus & poſteris, omnia ſuprà ſcripta, quæque pacta dotalitia & conuenta continent, quatenus nos concernũt & ligant, firmiter inuiolabiliterq; nos ſeruaturos, fideliter ijs ſtaturos, effectuiq; mandaturos, non contra facturos, neque etiam occaſionem daturos,vt quicquam contra ea fiat vel quis machinetur. In maioris fidei ſignum, ſigillum noſtrum huic diplomati appendimus. Datum N. die, menſe & anno.

DE QVITTATIONIBVS REVERSIBVS ET RECOGNITIONIBVS.

SVMMARIA.

1. *Quittantia quid.*

2. *Reuerſus.*
3. *Recognitio.*

CAPVT QVINTVM.

LAtinitati libentiſſimè ſtuderemus, ſi apud claſſicos auctores, quorum elegãtiam meritò imitari deberemus, aliquid reperire poſſemus, quod inſtituto noſtro deſeruire poſſet: Cum interpretibus igitur & doctoribus contenti ſimus oportet, qui vocabulis hiſce pro ſubiectæ materiæ neceſſitate vti ſolent. Apud nos Germanos vſu receptum eſt, Si quando pecuniam nobis debitam ex quacunque etiam cauſa accipimus, ſolent hi, qui eandem exponunt, ſcriptam quandam confeſſionem exigere, quam dicti interpretes a barbaro vocabulo
1 *Quittantiam* appellant. Vtrum autem nos Germani à[a] barbaris ſiue Longobardis, an verò ipſi vocabula hæc à nobis mutuati ſint, tantopere non refert ſciamus an ignoremus, dummodo nobis conſtet, quæ ſit genuina vocabulorum energia. Acceptâ namque pecuniâ, acceptans numeranti eandem, in ſua quittantia ſcriptaué accepti confeſ-

[a] Iaſon in l. 5. de certare C. de transactionibus.

confeſſione, hæc verba plerunque inſerere ſolet, Sage demnach den obgemeldten / dieſer Summen quit ledig vnnd loß / ꝛc. varijsque modis hoc verbo, quit / vtimur. Galli eodem ſenſu & vigore vocabulo *Quitter* vtuntur, quod nos dicimus Quittiren / ſed ſufficiat rem intelligere. Videamus requiſita Quittationis, cætera paulatim ſubſequentur.

FORMA.

NOs Aſcanius fatemur cunctisque hiſce præſentibus notum facimis: Poſtquam Illuſtriſſimus cognatus & ſocer noſter Hector, nomine filiæ ſuæ coniugis noſtræ dilectæ Areſcuſæ N. mille fl. in dotem ſe nobis daturum, ſcripto obligârit & promiſerit, iuxta tenorem & contenta pactorũ dotalitiorum inter nos & coniugem noſtram Areſcuſam erectorum, quam ob cauſam etiam D. Hector elapſis nundinis nobis N. mille flor. exoluit, reſiduum verò promiſſæ ſummæ hodierna die per N. numerari curârit, quod hac ratione integræ promiſſæ ſummæ gratia nobis ſatisfactum

 ſit.

ſit. Quapropter dictum Dominum Hectorem, eius hæredes, ſucceſſores, dictum etiam N. numerantem ſuo nomine, cunctosq; vlla quittantia ſuper hac re indigentes, ſolutæ promiſſæ pecuniæ dotis, hiſce præſentibus pro nobis noſtrisque hæredibus, quittamus & liberamus, omnique iuri ſpirituali & politico renunciamus, &c. In cuius rei maiorem fidem, propria manu nos ſubſcripſimus, noſtrumque ſigillum appendimus. Datum N. die, menſe & anno.

Illud ſanè non ignoramus nonnullos eſſe qui vocabulum hoc, interiecta litera e ſcribere ſoleant *Quietantia*, & putamus ab orthographia hoſce non deuiaſſe, cum per hanc ſcripturam vterque quietus & ſecurus reddatur, numerans & exponens principaliter, & acceptans ſecundariò.

Tenor & forma Reuerſus in ſubſequentibus ferè conſiſtit.

FORMA.

NOs Hector Dei gratia, hiſce præſentibus

bus pro nobis, noſtris hæredibus, quin & pro noſtra dilectiſſima filia Areſcuſa fatemur. Poſtquam Illuſtriſſimus Princeps Alexànder dilectus noſter cognatus & adfinis, filiam noſtram Areſcuſam N. mille flor. ſponſalitiæ largitatis loco, tanquam legitimam coniugem Illuſtriſs. Principis Aſcanij filij ſui primogeniti, remunerârit, dictamque remuneratoriam ſummam in caſtro & ciuitate N. centenos fl. de N. mille penſionis loco promiſerit, reſeruata tamen D. Alexandro eiusque hæredibus facultate reluendi caſtrum & ciuitatem, omnia iuxta tenorem formæ & contentorum literarum dictæ Sponſalitiæ largitatis, de verbo ad verbum huius tenoris: Nos Alexander, &c. Horum gratia nos Hector ſub vera fide principali pro nobis noſtrisque, quin & filia noſtra Areſcuſa, eius hæredibus ſucceſſoribusque promittimus & pollicemur: Si forſan ſuperſtite adhuc in viuis dicta noſtra filia Areſcuſa, vel etiam ipſa defuncta, reluitio dotalitiæ largitatis, vigore tenoris pactorū dotalitiorū à nobis poſtularetur, quod reluitionem talē iuxta formam iam memoratæ ſponſalitiæ

largitatis, quæ omnia hæc clarè continet & exprimit, exoluta ſumma capitali cum omnib. penſionibus, redditisq́; literis ſponſalitiæ largitatis, à caſtro & ciuitate recedere velimus, absque dolo, fraude & machinatione quacunq;. In cuius rei fidem hunc reuerſum ſubſcripſimus ſubſigillauimusq́;. Datum, &c.

3 Ad Recognitionem quod attinet, ſolent plerunque in illa omnes qualitates rei dotalitiæ loco datæ exprimi: An loco hypothecæ Aſcanij parens poſſideat; An verò hæreditario vel alio quocunque iure ad ipſum eiusué Maiores prædeceſſoresque deuenerit. Quæ omnia, vt ſæpè dictum eſt, forum docebit.

DE IVRE IVRANDO QVOD QVANDOQVE RE-nunctiationi interuenire ſolet.

SVMMARIA.

1. *Iuſiurandum quid, ex Baldo.*
2. *Ex Cicerone.*

3. *An iuramentum hoc requirat formalitatem.*

CAPVT SEXTVM.

MEntio facta est iuramenti præstationis, quod quandoque pro maiori confirmatione renunctiationis interueniri re soleat. a Verùm cum vsu quodammodo sit introductum, vt absque tali iuramento, nihilominus matrimonia legitima contrahantur & perficiantur, nec nos de hoc vsq; adeo curiosi erimus, præsertim cum compertum habeamus, sine vllo iuramento, ad ineunda matrimonia filias admitti solere, dummodo de congrua dote, cæterisq; necessarijs & requisitis, à parentibus vel alijs, quibus hoc efficere incumbit, ipsis ritè prospiciatur. Et vt maximè præstetur, tamen aliud esse vel dici non potest, quàm voluntarium, quia sine vi metuué præstatur, vt suprà dictum est. b Baldus definit *Iusiurandum esse inuocationem numinis diuini, ad confirmandam iurantis fidem.* c Cicero ait *Iusiurandum esse adfirmationem religiosam, quod autem adfirmatè quasi Deo teste promiseris, id tenendum*

a Supra c. 1. de form. renũct. hac parte.

b cap. 2. parte 1. num. 9.

1

c Bald. in rubr. ff. de iureiur. siue vol. siue necess.

2

nendum est.[d] *Et nullum vinculum ad adstringendam fidem iureiurando Maiores arctius esse voluerunt*, idem Cic. in eodem libro auctor est. Hîc nunc illud in dubio & quæstionis est: An filiorum Renunctiatio iuxta specialem tenorem verborum conceptorum, quo ad iuramentum: An verò secundum verba, Renunctiationis formæ inserta, ad hanc sufficiant? Et sanè, cum in sæpedicta forma omnia requisita satis exprimantur, nouam formam ea de re concipere velle, superuacaneum foret, eam igitur sufficere arbitramur. Illud sanè in propatulo omnibusque constare certum est, inter DD. & cõmentatores iuris nostri, quæstionẽ hanc diuersimodè disputari: An[e] videlicet Iuramentum requirat formalitatem verborum, quod formaliter verbis iuretur, iuramentum enim aliter suppleri non posse? Et sanè si gloss. d. c. penult. inspicimus, eamque debita consideratione perpendimus, intellectum alium ex ea colligere nõ possumus, quàm quod iuramentum ad ea solummodò sese extendat, de quibus cogitatum est. Cum igitur ex forma Renunctiationis abundè constet, de quibus in contrahendo

[d] Cic. lib. 3. offic.

[e] Iaf. in l. ex eo. num. 9. ff. de verb. obligat. & c. penult. iureiur.

hendo matrimonio cogitari vſu receptum ſit, à tali renunctiatione recedere, aliamq; formam inducere velle, & periculoſum & tædioſum foret. Si itaq; vlla renunctiationis formalitas obſeruanda eſt, hanc quæ in contrahendo matrimonio omnium cum conſenſu vtriusq; partis adprobata eſt, retinendam & obſeruandam eſſe cenſemus, per hanc enim formalitatem iuramenti (ſi quo opus eſt) ſatis ſuppleri poſſe putamus.

DE PROMISSIONE FACTA SVB FIDE PRINCIPALI: Id eſt, Bey Fürſtlichen / Gräfflichen / Adelichen Ehren.

SVMMARIA.

1. *Fidem fallere graue.*
2. *Fides in triobolaribus interponitur.*
3. *Verba otioſa quæ.*
4. *Deus ipſe ex ſua promißione obligatur.*
5. *Dei promißiones conditionales.*
6. *Pacta ſeruare fidei humanæ congruum.*
7. *Princeps vnde ſit.*
8. *Verba, Nos Dei gratia, quomodo intelligẽda.*

9. Pre-

9. *Promissum cadit in debitum.*
10. *Germania magna ciuitas.*
11. *Promissiones Rusticorum Gallicorum.*
12. *Promissio sub fide Germanica.*

CAPVT SEPTIMVM.

EX prædictis satis liquere putamus, quodnam principale sit requisitum, quod in hac nostra Renunciatione maximopere sit necessarium, Fidei, nimirum, promissio, non solùm, sed & eiusdem præstatio. Vlpianus tanquam ethnicus, ex peculiari naturalique æquitatis motu & instinctu, quin immò, quasi diuino quodam
1 numine afflatus, *Graue est*, inquit, *fidem fallere*.[a] Præclarum hoc ethnici dictum, quomodo exulceratis nostris temporibus accommodare possimus, satis perspicere nequimus: linguæ siquidem labiaque nostra tam tritè sunt adsuefacta, vt etiam pro cõfirmatione rei triobolaris, fidem nostram, quin & Diuinum nomen interponere non erubescamus, semper blaterantes, *Per fidem meam*, *Per Deum*, *&c.* cum tamen cor à verbis etiam in remotissimo gradu delitescat;

[a] L.1.ff.de const. pecun.

ſcat: quod ſanè luculentiſſimè nobis Cicero ob oculos ponit, dũ ait, *Semper autem in fide, quid ſenſeris, non quid dixeris,* b *cogitãdum:* b Cic. 1. lib. offic.
Et alibi multò præclarius idem Cicero ait. c c lib. 3. offic.
Deum ſe adhibere teſtem, id eſt, (vt arbitror) *mentem ſuam, qua nihil homini dedit ipſe Deus diuinius.* Hiſce paucis ethnici nobis digito monſtrant, quænam in dictis & factis noſtris, politicè obſeruare nos deceat. Sed proh dolor, nitimur in vetitum: quia frequentius, quàm par ſit dicere, eiuſdem Ciceronis verba exprobratiua excipimus, æſtimantes, *Lingua iuraui, mentem iniuratam teneo*: d ſed ſuam quilibet ſaluet conſcientiam. d Idem Cic. lib. 1. offic.
Graue, inquam, graue eſt, iurando Deum teſtem adhibere: Nec dubitandum, hæc eſſe verba illa otioſa, de quibus Saluator noſter Chriſtus ait; In nouiſſimo die 3
nos reddere rationem debere de quouis verbo otioſo. e In rubr. de pactis num. 1.
Sed ne Theologorum meſſem cum periculo ingrediamur, vnicum dictum quod D. Iaſon e ex Cyno adducit, huc retuliſſe ſufficiat, ait enim, *Deum etiam* 4
ipſum ex ſua promiſſione obligari. f Huius rei longè petita exempla allegare velle, abſurdiſſimum foret: Facta enim collatione Di- f Cynus in l. digna vox C. de legib.

uinarum

uinarum promiſſionum, quas cumulatè mãdatis ſuis adiecit, illisque qui ea ſeruarẽt &cuſtodirent, promiſit: Cũ maledictionib. execrandis quib. transgreſſores mandatorũ ſuorum punire voluerit, deprehendes, promiſſiones omnes merè conditionales fuiſſe & adhuc eſſe, nimirum, *Si meis in mandatis ambulaueris, &c. contrà verò, Si à meis mandatis deuiaueris, execrandæ deteſtabilesq; maledictiones hæ te expectabunt.* De quibus in Biblijs.

Promiſſa igitur (licita tamen) ſeruare, licitisque pactis conuentis ſtare, & ſalutaris, & ſummo Deo accepta grataq; res eſt, *Nihil enim* (ait idem Vlpianus Ictus) *tam congruum fidei humanæ, quàm ea quæ inter eos placuerunt, ſeruare.* g Promiſſiones igitur & pacta rationabilia, circa haſce renunciationes, inuiolabiliter Maiores noſtri præſtari & ſeruari voluerunt. Primò enim, ſi princeps inque principali dignitate conſtitutus es, non eſt quod tibi imaginêre, te per ſemetipſum, naturæuè ductum, ex talibus parentibus prognatum eſſe, vt ideo princeps habearis, àque ſubditis tuis ſuſpiciaris: Sed cordis tui meditationes

g l. 1. in princ. ff. de pact.

tationes in locum multò ſublimiorem defigas oportet, à ſolo Deo ſummo, tales in dignitates te ordinatum & conſtitutum eſſe: eadem etiam ratio in Comite Nobilevé militat. Sed quid de Imperatore dicemus, quem omnes ſumma cum reuerentia ſemper Auguſtum nuncupamus, anne propterea quod Imperium & territorium ſuum augeat, id fieri putas? nequaquã: ſed, ab Augurijs, veteres eum dici teſtantur,[h] *quod quaſi ſanctus & augurio conſecratus, auctusq́; Iouis ope*: quo etiam haud inconcinnè reſpicere videtur Ouidius; vbi etiam de Auguſto verba facit inquiens: *Et quodcunq; ſua Iupiter auget ope*, hoc nimirum dici Auguſtum vel Auguſtale. Si enim illud quod per ſeptingentos nunc annos Imperio Germanico detractum, conferas cum illo quod eidem Imperio adiectum eſt, videbis, Imperium Germanicum non Auguſtum, ſed in anguſtũ coactum eſſe: Sed non humanæ diſpoſitioni, verũ potius Diuinæ ordinationi hęc cõmittenda ſunt, aliâs prophetię Danielis & aliorũ falſę forent. Quicquid igitur es, non ex te, ſed ex ſummi Dei

[h] Sueton. In Auguſto.

Ouid.

proui-

prouidentia es. Sub fide Principali igitur ſi quid promiſeris, non eſt quod hiſce cogitationibus diuexeris, ſufficere ſi pro tua perſona promittas, quia Princeps, Comes vel Nobilis es, ſed ſuccurrat tibi oportet, à quo in ſtatum tam ſublimem collocatus ſis, à Deo nimirum, qui Principalem in te contulerit dignitatem. Promittendo namq; iurandoque ſub fide Principali, non ſub fide ſimplicis hominis, ſed ſub talis perſonæ fide, in quam Deus honorem, dignitatem & ſtatum hunc ſupernè contulerit. Rectiſſimè igitur, ſummoque Deo rem acceptiſſimam gratamque faciunt omnes principes, qui ſuis titulis aliâs licitis & originarijs Dei honorem præponunt, ipſique ſoli omnem honorem & poteſtatem deferunt in eo, dum ſcribunt, *Nos Dei gratia, &c.* innuentes, quicquid ſumus, in ſummo etiam collocati gradu & ſtatu, ex ſolius Dei gratia ſumus: Vnde Apoſtolus rectè ſentit, dum ait: *Quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti quid gloriaris, quaſi nõ acceperis.* h Quod ſanè egregium Apoſtoli dictum in omnes etiam infimi minimiué gradus & ſtatus homines optimè quadrat. Deinde

h Ad Corinth. cap. 4.

hoc

hoc etiam nobis succurrat oportet, homines nos, nec quicquam humani alienum à nobis esse: Si igitur in licitis quid promittimus, vt idem præstemus, naturaliter tenemur, i cum *omne promissum* (licitum tamē) 9 *cadat in debitum*. Cum autē promissio hæc, i l. vnic. in pr. de qua hîc agimus, libera, licita, honesta, C. de suffragio Instit. de Principalique personæ & cæteris stemmatibus salutaris sit, eam sanè seruare, eique verbor. oblig. in pr. stare, huic non contrauenire, personam Principalem, Comitalē (vt ita loquamur) nobilemque & decet & decorat. Vnicum adhuc (licet ad ludum & iocum nati non simus k) ioci tamen gratia adijcere libuit: k Cic. 1. lib. offic. Cum enim anno supra sesquimillesimum quinquagesimo nono, non rari, ex varijs Germaniæ locis, Gallias studiorum gratia peteremus, numerusque progressorum ex Germania intra trimestre temporis spacium vltra ducentos excreuisset, & subinde adhuc augeretur, idq; eam ob causam, quia sub idem ferè tempus, pax inter Gallum & Hispanum Reges firmata esset, proque arctiori vinculo huius pacis, Hispanus Galli filiam Elisabetham matrimonio sibi iungeret: Rustici circa ciuitatem Aureliam in

pagis habitantes, vrbemque quotidie visitantes; cum viderent omnes quasi vnico habitu nos amictos, vno quasi idiomate loquentes, familiariterq; nos inuicem salutantes & excipientes, firmam hanc opinionem cōcipiebant; Germaniam siue Alemanniam, magnam ciuitatem, (sic enim
10 Germaniam appellabant) nosq; omnes ex vna eademq; ciuitate oriundos esse, firmiter sibi persuadebant: Tunc temporis frequentissima in phrasi habebant sacrā quasiq; iuratam promissionem, qua adseuerāter ꝑmissa sua confirmabāt, in hunc modū:
11 *Foi de gentilhomme*, id est, sub fide nobili viro digna: Verùm haud multum temporis interiecto, cum viderent nos Germanos, amicè, sincerè & candidè stipulata manu cūcta gerere: pertæ si prioris phrasis, ab illa recedunt, aliamque formulam sanctè quid
12 promittendi arripiunt, inquientes: *Foi d'Allemaigne*: sub fide Germanica: quod autem priorem formulam assertiuam promittendi reliquerint, hāc fuisse causam putamus, quia nobilem sese carnem in sinu suo gerere nō poterant percipere, formam igitur prædictam assertiuè promittendi, arripie-

tipiebant. Quod ideo libuit adijcere, vt demonstraremus, quam sanctè analphabeti rusticelli hi, promissa sua seruare voluerint. Sed ad alia.

DE CERTIORATIONE.

SVMMARIA.

1. *Moribus antiquis vtendum, verbis præsentibus loquendum.*
2. *Certioratio verbum.*
3. *Mulier renunctians debet certiorari.*
4. *An mulier poßit renunctiare Sancto Velleiano.*
5. *Licentia verbum quid operetur.*
6. *Dubitandi occasio eximenda.*

CAPVT DECIMVM.

QVod suprà a nobis accidit, hoc idem & hic denuò subire cogimur: freti tamẽ auctoritate Auli Gellij, intitulationem huius capituli commodè mutare non possumus: refert enim Gellius b de Phauorino philosopho, cum adolescens quidam atro-

a cap. 5. in pf. hac 3. causa.

b lib. 1. cap. 10.

gantiæ ſtimulo punctus, nimium affectaret antiquitatem, omniaque priſcorum more pronunctiando euomeret, modeſta cũ reprehenſione Phauorinum, dictum adoleſcentem correxiſſe, idem Gellius ait, hiſce verbis: *Vtere moribus antiquis, & loquere*
1 *verbis præſentibus*, proculdubio memor illius verſus cuius etiam ſuprà meminimus, *Moribus antiquis res ſtat Romana viriſq;*. quaſi innuere Philoſophus voluiſſet, ſiue priſcis ſiue modernis verbis vtaris, tanti non refert, cum potius ſit vitium quàm beneficium linguæ mentiſque: Aſt antiquorum mores, hoc eſt, grauitatem, conſtantiam, ſinceritatem, quin & ſimplicitatem imitari, virtutis & ſummæ laudis eſt. Quo etiam haud inconcinnè referri poterit Corinthij Philoſophi dictum inquientis, *Vtere legibus antiquis, obſonijs verò recentibus*. Hac ſanè proteſtatione vt in præſenti materia vtamur, neceſſitate adſtringimur, muti enim noſtri magiſtri & præceptores claſſici vocabulo *Certioratio*, vſi non ſunt: nos verò pro maiori noſtræ intentionis intelligentia, hoc carere non poſſumus: quamuis Phauorinus in d. capite c in fine concludendo
c d. cap. 10.
fidelitèr

fideliter admoneat adolescentem hunc arrogantem hisce verbis: *Habe semper in memoria atque in pectore, vt tanquam scopulum, sic fugias inauditum atque insolens verbum.* Nos sanè libentissimè Phauorini Gellijque censuræ & correctioni subiecti erimus, dummodò percipiatur id, quod dicere volumus. Maneat igitur cum præceptorum nostrorum foriq; moderni auctoritate vocabulum *Certioratio*, quo in hoc nostro Re- 2
nunctiationis tractatu carere non possumus. Mulier enim renunctians, ante o- 3
mnia certiorari debet, quibus rebus renunctiandum sit, idque maximè propter sexus fragilitatem, & multò magis propter præsumptam ignorantiam: filiæ siquidem nupturientes, plærunque alijs cogitationibus diuexantur, vt non facilè de futuris hisce cogitent: Et tractatur quæstio d hæc in vtramque partem pulcherrimè à DD. An mulier possit renunctiare beneficio Sancti 4
Velleiani, e vbi tamen plæriq; concludunt, mulierem posse renunctiare, dummodò certiorata & eius ætatis sit, vt rem etiam intelligat, quamuis Bartolus contrarius hic sit, intelligenda tamen hæc sunt, quoad

d Bald. in l. fin. s. pen. ff. ad Sanctum Velleian.

e l. sciendum ff. de verb. oblig. & vid. Iason in l. pen. nu. 19. C. de pactis.

Bartoli opinionem, de filia minorenne, diuersum verò in maiorenne, quorum etiam suprà f mentio facta est. In summa, regulam iuris antiqui nos habere ait Imperator Iustinianus *Omnes licentiam habere, his quæ pro se introducta sunt renunctiare.* g Præsumptiuè igitur ex verbo *Licentia*, colligi potest, noti-
5 tiam, scientiam & certiorationem necessariò requiri, huncq; solum in finem formã Renunctiandi adinuentam esse; aliâs eiusmodi renunctiationes, præter strepitum verborum, motumq; labiorum nihil operarentur, sed in cassum fierent, vel ad minimum materiam rixandi locupletem subministrarent, quod sanè quotidie accidere videmus. Certiorationem igitur hanc, ob eam causam fieri tantùm, vt omnis dubi-
6 tandi eximatur occasio, *ea enim quæ ad tollendam dubitationem in rebus quibusuis inferũtur, neque lædunt neque nocent.* h

f cap 1. hac 3. cauta.

g l. penult. C. de pactis ibique D. Ias. nu. 19.

h l. Quę dubitationis ff. de reg. iur.

DE CONSENSV SPONSI.

SVM-

SVMMARIA.

1. *An sponsi consensus necessariò requiratur in renunciatione.*
2. *Sponsi dissensus nihil operatur.*
3. *Nuptias consensus constituit.*
4. *Matrimonium sine dote contrahi potest.*
5. *Sponso vel Sponsa ante nuptias moriente quid.*
6. *Consensus in se continet effectum futuri concubitus.*
7. *Imaginarium matrimonium.*
8. *Propter nuptias data, ijs non secutis, repeti possunt.*
9. *In donatione ante nuptias, idem ius quod in perfecto matrimonio.*

CAPVT NONVM.

NE Arescusa nostra sola Renunciationis mole prematur, videamus oportet, num Ascanius fascem hunc ex parte leuare possit, cũ par vtriusq; fortuna in matrimonio debeat esse. Meminim[a] aliquoties triũ requisitorum, quę ius cõstituant, inter quę consensus pręcipuũ quadãmodò habetur. a Verùm cum de hoc consensu hîc non agamus,

[a] Suprà cap. 5. causa 2. nu. 5 & alibi.

agamus, sed de consensu Sponsi, vt in renunctiationem antiquitus constitutam,
1 consentiat eamque adprobet: Videndum nobis erit, An necessariò, & quatenus hîc Sponsi consensus requiratur: Ex præcedentibus enim abundè constat, statuto & consuetudine sola, rem hanc tam planam esse, vt altiorem indaginem requirere non videatur.
2 atur. Quid enim sponsi consensus vel dissensus, adprobatæ & confirmatæ Renunctiationi addere vel demere potest? Quid refert, etiāsi Ascanius ducendo Arescusam, in talem familiam transeat, quam statutis & consuetudinibus sic esse septam sciat, vt dissensus eius contra eadem præualere nō possit? Quid insuper si Arescusæ frater in familiam Ascanij condescendat, ibiq; eandem consuetudinis obseruantiam reperiat? quorsum consensus vel dissensus hîc? Hisce quæstiunculis simpliciter respondèri potest, Accij idem esse quod Titij. Quod verò sponsi adprobationis & consensus in forma renunctiationis mentio fiat, rationem hanc putamus habere, ne forsan inexplebilibus insatiabilibusuè hominibus, fenestra rixandi aperiatur. Præterea consensus

ſenſus hic non eſt de ſubſtantia matrimonij, nolit enim velitué Sponſus, nihilominus matrimonium ritè contrahi & perfici poſſe, *Nuptias enim non concubitum ſed conſenſum facere*, Vlpianus ait. b Si igitur concubitus tãti valoris non ſit, vt nuptias conſtituat, quantò minus conſenſus hic quicquam vinculi matrimonio addere poterit, ſed, vti dictum eſt, eum ad euitandas rixas, proque coloranda forma renunctiationis adhiberi. Adde quod diſſenſus in re principali, puta contractu matrimonij, eundem vitiat, in acceſſorio verò, vt in conſenſu renunctiationi principali nihil derogat; nec debet acceſſorium principale ſuum regulare, c cum experientia nos doceat, matrimonia quandoque cum dote quandoque ſine dote, nonnunquam etiam cum dote plusquam exigua, de qua etiam antea mentio facta eſt, contrahi poſſe, d Imp. enim Iuſtinianus in *d. l. iubemus* ait: *Non enim dotibus ſed affectu matrimonia contrahuntur*. Et quoniam quæſtiones controuerſæ de ſponſi & ſponſæ conſenſu, quoad Renunctiationem, motæ ſunt, vnicam adhuc quæſtiunculam ſubijcere libuit. Si matrimonium

3 b l. nuptias ff. de reg. iuris & l. cum fuerit ff. de cond. & demonſt.

c l. inter ſtipulãtem §. ſi ſuchum ff. de verb. oblig.

4 d l. iubemus in prin. C. de repudiis.

consensu omnium quorum interest, vtrin-
que contrahatur, sponsalia celebrentur, pa-
5 cta dotalia scripto comprehendantur, ab
omnibus subscribantur, sigillisque con-
firmentur: Insperata autem morte super-
ueniente, quæ nuptias, & sic consequenter
amplexum & concubitum impediat, quid
hîc statuendum, videamus. An videlicet,
e d.l. nuptias. vigore dictæ regulæ, e superuiuens spon-
sus sponsaué, dotem donationemué pro-
pter nuptias promissam, petere possit, solo
nimirum consensu considerato, nulloque
congressu vel amplexu subsecuto. Pro dis-
solutione huius nodi, ense Herculano o-
pus nos habere non est quod quis autu-
f cap.4. hac 3. part. met: f Ad ea quæ paulò antè diximus, aui-
dum lectorem remittimus, sibi enim con-
6 sensus, qui tacitum in se comprehendit
matrimonialem effectum, concubitum
videlicet, mentio expressa facta est. Quid
enim prodesset consensus in matrimoni-
um, nisi principalis causa subsequeretur?
matrimonium sanè aliud nullum esset, nisi
7 imaginarium, instar emptionis & vendi-
tionis sine pretio. Ad ea verò quæ vltro ci-

troq;

troq; data sunt, quod attinet, congressu tamen nullo subsecuto, Imp. Alexandrum hac de re verba facientem, audiamus: sic enim Attalo rescribit. *Si præsidi prouinciæ probaueris, vt Eutychiam vxorem duces, mune-* 8
ra te parentibus dedisse: nisi Eutychia tibi nupserit, tibi restitui quod dedisti, iubebit. g Et sanè vt rem paucis expediamus, quid obstat, quo minus idem ius in donationibus ante 9
vel propter nuptias obseruetur, quàm in matrimonio plenè consummato & perfecto, & tamen morte aliaué de causa soluto? Quæ cum adeo sint manifesta, consultò diutius hisce immorari velle absurdum foret, passim enim integri tituli vtriusque iuris hanc materiam fusè tractantes, nobis obuiam fiunt, h quò etiam sedulum lectorem remittimus, instituti siquidem nostri non est, cuiuslibet quæstionis materiam plenè & decisiuè hîc tractare, sed lectorem ad fontes ipsos remittere velle.

g l. 2. & l. cum veterum, & ibi gloss. C. de donat. ante nupt.

h §. est & aliud Inst. de donationibus C. de donationib. ante vel propter nuptias & sponsaliis. ff. de donat. inter vir. & vxor. D. de donat. int. vir. & vxor. & de dote post diuort. rest. No. const. 2. 53. 91. 98. & aliis in locis.

DE VOTO.

SVM-

SVMMARIA.

1. *Moderata durant.*
2. *Quæ adminicula loco iuramenti in renunctiatione.*
3. *Promissum cadit in debitum.*
4. *Differentia inter Renunctiationem & votum duplex.*
5. *Per votum Deo obligamur.*
6. *Votum ex sola deliberatione perficitur & Deo mittitur.*
7. *Vnctæ personæ.*
8. *Religiosorum triplex votum.*
9. *Æs impossibilitatem votorum moderatur.*
10. *Papales nundinationes.*

CAPVT DECIMVM.

1 MOderata durare Senecam [a] retulisse constat, ne igitur & nos modum finemque in tertia hac causa Formali, excedere videamur, cum Voto solita breuitate huic causæ finem facere conabimur, numque Voto communio quædam cum Renunctiatione sit, videbimus: Deinde in quibus differant vel conueniant: Tertiò, quatenus vtrumq; liget. Ad

[a] Seneca in Epodo.

Ad primum quod attinet, satis manifestum esse putamus, Renunctiationem cum iuramēto fieri posse, nō tamen necessariò b sed voluntariè, quæ.n. adminicula loco iuramēti in renunctiatione adhiberi soleant, eo loci dictum est. Votum cum iuramento fieri posse, leges sacræ nos docent, præcipit enim Dominus Moysi expresse, vt filijs Israel mandatum & voluntatem suam vouentibus vtriusque sexus præceptiuè proponeret his verbis. *Si quis virorum votum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum votum suum, sed omne quod promisit homo, implebit*: c adhibens tamē pulchram limitationem distinctionemque inter mulieres nuptas & virgines quæ adhuc in domo patris aluntur & detinentur, quæ latius ex sacris Biblijs dicto in loco peti possunt, nec enim huius loci est eà fusè tractare velle. & apud ethnicos iurisiurādi religionem voto adiunctam fuisse, testantur nonnulli historici: d atque sic in eo Renunctiatio & votum inter se conueniunt.

b Caus. 1. cap. 2. num. 9.

2

3

c Num. cap. 30.

d Alex. Neap. lib. 3. ca. 22.

Si verò exactius vtriusque effectum perpendere voluerimus, diuersissimum deprehendemus; respiciendum enim est præcipuè

puè, Votum cui, & Renunciatio cui & quibus fiat: in hac enim videmus eam fieri parētib. agnatisq́; in illo verò, vouenti rē esse non cum homine vel agnato, sed summo cum Deo, cui se adstringit, & arcto vinculo obligat, hæc igitur differentia exigua nō est.

Obligationem adhæc vtriusque si respicere volumus, & quatenus vnūquodq; pro se vouentem vel Renunciantem, liget, differentiam priori forsan maiorem inueniemus: Renunciatio enim circa ea, quæ merè sunt politica, bona nimirum, versatur, quæ citra animæ dispendium tutò fieri po-
5 test. e Votū verò maximè ea concernit, quę ad Dei gloriam vergunt, cuius rei gratia adductum est exemplum in præallegato capite: quod idem & Paulus Castrensis innuere videtur, f dum ait, *Votum mittitur Deo, nam ex sola deliberatione perficitur, & obligat vouentem, etsi non processit ad extrema verba vel facta, &c.* Consideratis igitur omnibus vo-
6 ti qualitatibus, cuilibet discreto liquebit, quid à pacto, pollicitatione vel promissione differat, soli quidem vouere possumus, pacisci autem & reliqua perficere non vtique.

e c. quamuis de pactis.

f In l. si quis rē §. voto ff. de pollicitationibus nu. 3.

Domi-

Domino vnctas personas, &c si manib. 7
prosanis tetigerimus, ne sacrilegium committamus metuendū nobis est, sunt enim
in vtroq; sexu & genere plusquam delicatę,
lotis igitur manibus, eos casq; tangere docet. Fratrum corollatorum, & sororum baguttarumue tonsarum rasarumque causa
iam nobis agenda est, vtrinque enim cum
voto & renunctiatione in ordines suos
non ingrediuntur, sed ruunt: Hi namque
Religiosi (si qua fatuis religio inesse dici
potest) varia superstitione sibi persuadent,
in monasterijs sese extra mundum viuere,
cum tamen nequaquam viuere possint, nisi omnia ex mundanis, ventribus hisce suppeditentur: digni reuera essent, vt non in
monasterijs cibo paneq; quotidiano, sed in
deserto SIN instar filiorum Israel, per quadraginta annos g pascerentur manna scelesta. Hi inquam religiosi vētres arctissimo Exod. cap. 16
tripliciq; voto, (nouit Deus cui) sese deuouent: 8
Obedientiam enim vouent, qualem
Diabolus præstat, paupertatem eam, cuius
Crassus pater, & Sardanapalus mater fuit: Castitatem verò iuxta præcepta Veneris.
Sed quorsum hæc à nobis recensentur,
cum

cum tamen nemini non constet, vota qualiacunque etiam impossibilia, si opere ad-
9 impleri & exolui nequeant, moderante tamen ære, satisfactio eorum præstari potest. Verbis nostris fidem adhibere si quis grauetur, Gregorij IX. pontificis h Decretales perlustrare poterit, & satisfactum cuilibet legenti fore speramus: Sin minus, adhibeat sextum i Decretalium librum, ne forsan huic rei deesse aliquid, querulandi occasionem quis aucupetur. Pro confirmatione maiori harum næniarum expilationumq́;, tutò adiungere possumus ea, quæ clarissimus consultissimusq́; vir Laurentius Tuppius Iureconsultus Argentinensis in libro, quem ex Germanica in latinam linguam transtulit, refert, sub titulo; *Aduersus Synodi Tridentinæ restitutionem seu continuationem à Pio IIII. Pontifice indictam, grauamina* k *&c.* in hoc ipso enim libro exponuntua Papales nundinationes eum in modum, vt etiam cœlum venale videatur. Atque ideo hæc commemoramus, vt paucis tenebras maiorum nostrorum, quibus sub iugo Papali obfuscati fuerunt, demonstraremus, vota siquidem hæc neque liga-

bunt

h c. 1. cum cæteris omnibus de voto & voti redempt.

i cod. titul. in. 6. Decret.

k De taxta sacræ pœnitentiariæ. De commutatione voti.

bunt neque vexabunt nos: & vt maximè votum Renunctiationi nostræ, quo tantò fortius eam stiparet, coniungeretur; vires tamen iuramento efficaciores exerere non posset. Valeat igitur votum cum suis nundinatoribus.

Finis Causæ tertiæ.

CAVSA QVARTA.

Renunctiationis nostræ tractatio vt extremum aliquod habeat, tandemq; finem ei faciamus, eundem duplicem constituemus, Finem nimirum effectualem, vt manifestò deprehendatur, in quem finem Renunctiationes adinuentæ sint: Et deinde, qua ratione eædem Renunctiationes finiantur.

DE CONSERVATIONE STIRPIVM ET FAMILIARUM.

SVMMARIA.

1. *Fauori familiarum quid tribuendum.*
2. *Laus stirpis prosequitur.*
3. *Inopis parentis filiæ quomodo educandæ.*
4. *Filiæ inopes benè moratæ satis dotatæ sunt.*
5. *Pauper sed ingeniosus.*
6. *Ingenium decus hominis.*
7. *Caput pulchrum sine ratione.*

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

VT nouissima cum primis conferamus, ea quæ suprà breuiter à nobis adducta sunt, [a] hîc repetijsse non pigebit: In descriptione enim Renunciationis nostrę, mentio facta est *Fauoris*, in cuius nimirum fauorem renunciationes hæ fiant, & expreßè demonstratum est, *in familiarum*, hoc enim pacto familias tantò honestius conseruari posse. Cum igitur hic modus non solùm ad conseruationem, sed etiam in summam familiarum laudem vergat, eundem sanè nostri seculi Principes, Comites, Barones & Nobiles, si integrum inuiolatumque, & à Maioribus quasi per manus traditum modum obseruant, nostro sanè iudicio à recto non est deuiare: Cicero enim summus Philosophus, excellens ICtus, Latinæque linguæ parens, admodum scitè dictum nobis reliquit, inquiens. b *Qua in familia laus aliqua forte floruerit, eam ferè qui eius stirpis sunt, cupidißimè persequuntur.*

[a] Cauf. 1. cap. 1. num. 7.

1

[b] Cic. pro Rab.

2

Si igitur parentes maiorum suorum vestigijs insistunt, laudemque priscam in

elocandis filiabus, propagandis autem locupletandisque maſculis continuant, filiolæ ſanè caſtæ, quod ea propter eiulent, naturamuè incuſent, nõ habent, cum crebertima illuſtriaque exempla ſubinde ipſis ob oculos ſtatuantur; ne igitur animum deſpondeant, quæſumus. Quid enim ſi prædictorum ſtatuum parens vnus ad ſummam vergat paupertatem, idque ob varias aduerſitates & incommoda, vt ea propter omnes ferè facultates exhauriantur, ita vt ex prouentuum reſiduo vix tantum ſuperſit, vt annuatim ſe ſuoſq; ſuſtentare poſſit: nihilominus tamen per Dei benedictionem numeroſa prole, præſertim autem honeſtis filiabus augeatur, ob dotis verò exiguitatem nulli velint proci cõparere, quorſum miſeras haſce relegandas eſſe putas, vt honeſtè viuere vel educari poſſint, in Monaſteria ne? Nequaquam. Quorſum igitur? Ad ſcholam rei domeſticæ, in eaq; poſt piam fidelemque inſtitutionem in Biblijs, quotidie exerceantur, boniſque moribus imbuantur, & turba honeſtorum procorum in ipſas ruet. Audiamus ethnicum & antiquiſſimum poetam loquentem, qui

ait,

ait, *Dummodo morata rectè veniat, dotata satis* 4
est. c quod idem sentire videtur Ausonius d
dum ait, *Quæ dos matronis pulcherrima? vita*
pudica: nisi enim honesta piaq; plærarumq;
virginum corda & ingenia, quarum res pa-
ternæ domi sunt angustæ, hac vnica spe la-
ctarentur sustentarenturque, ne forsan in
vitia & inhonesta prę nimia dispatiētia prę-
cipitarentur, metuendum esset, *Paupertа-*
tem enim *ad turpia cogere*, suprà dictum est. e
Contrà verò eadem paupertas summis in-
sistere rebus, haud rarò ansam præbet, in
quos meritò adagium illud Erasmi f quadra- 5
bit, *pauper sed ingeniosus*: probe siquidem ex-
culto ingenio, totam hominis naturam ex-
cultam esse dicere possumus. Vnde haud
immeritò à Cicerone, *Ingenium hominis de-*
cus appellatur. g Quid quęso ex homine stu-
pido, bardo, hebete & tardo, etiamsi forma
venustissima præditus sit, aliud facere, deq; 6
eodem statuere & iudicare poteris, quàm
vulpecula illa, quæ cum forte fortuna, li-
gneum caput ad imaginem humani capitis
miro artificio sculptum reperisset, multū-
que volutando inspiciendoque conside-
rasset, tandem in hæc prorupit verba. *Quàm*

c Plaut. in Aulularia.
d In sententijs Bię.
e Caus. 2. cap. 2. num. 10. l. 3. ff. de testibus.
f Homer. Odys. 6.
g Cic. de clar. orat.

Alciat. in suis Embl. in loco Ignorantia. *esses pulchrum caput, si rationem haberes*: h Hęc in vtranque partem exemplis demonstrare velle tædiosum foret, ea enim quæ quotidie inuitis nonnullis ob oculos versantur, sufficiant, cætera missa faciamus, exque hisce candidum lectorem percipere posse speramus, in quem finem Renunctiatione nostra collimare cupiamus.

DE FAVORE.

SVMMARIA.

1. *Fauor erga masculos finis effectiuus renunctiationis.*
2. *Fauores ampliari conuenit.*
3. *Fauor priuatus, auaritiæ species.*
4. *Vasallos mares esse expedit.*
5. *Amazones.*
6. *Fauor indultus neminem lædere debet.*
7. *Gratia concessa nemini debet esse dispendiosa.*

CAPVT SECVNDVM.

Telam

TElam fauoris, qui tanquam verus & effectiuus finis Renũctiationis nostræ à parte prolis masculeæ est, exorsi sumus, meritò igitur eandem promisso Laconismo continuamus & absoluimus. Pro celeriore igitur expeditione huius capituli regulam adhibemus Bonifacij IX. inquiẽtis. *Odia restringi, fauores ampliari conuenit.* a Hanc regulam glossa cum commentatoribus, ad sola ecclesiastica, præsertim autem glossa trahit: b nobis videndum erit, num & nostro instituto deseruire possit. In pertractanda Fauoris materia, respiciendum est eo præcipuè, An fauor hic publicum vel priuatum commodum concernat: Et sanè si ad solum priuatum commodum restringere volumus, in speciem auaritiæ eundem conuertemus: fauorisando enim filiabus, admittendoq; eas cum filijs per omnia (fundis exceptis) ad plenam successionem, aliud nil foret, quàm præclara stemmata & familias depauperare & è sublimi fastigio in imum præcipitare, de quibus etiam suprà dictum est. c In publicam verò vtilitatem & commodum, si referatur, publica vtilitas ampliatur, resque

1 (beside line 1); 2 (beside line 6); 3 (beside line 18)

a c. odia. de reg. iur. in 6. & l. cum quidem ff. de lib. & post hæred. instit.

b Dynus & glos. in d. Regul. odia.

c Causa 1. cap. 3. num. 4.

publica conferuatur, expedit enim Impe-
ratori, Regi, & Principi, Vafallos mafculos
habere locupletes: nifi forfan Principales
& heroicas perfonas Vafallorū loco Ama-
5 zonibus ftipare malis, de quibus Iuftinus & alij hiftorici, d fed abfit, hæcque in præce-
dentibus etiam tractata effe fcimus. Sed
age conuertamus regulam noftram, fauea-
mus filiabus & deinde ponderemus fequelam, videbimus prædictam inconuenien-
tem abfurditatem fi volumus, fin minus,
manibus palpabimus: quinimmo hic fa-
uor filiabus conceffus, in cuiusque etiam
fplendidiffimæ familiæ læfionem vergeret:
haud igitur fine ratione Impp. Theodofius
& Valentinianus ftatuerunt, Florentinoq;
præfecto refcripferunt in hæc verba, *Quod*
6 *fauore quorundam conftitutum eft, quibusdam cafibus ad læfionem eorum nolumus inuentum
videri*: e Cum igitur nemini non conftet,
renunciationes hafce filiarum, non folùm
in fauorem & conferuationem familiarum
à maioribus anteceffori busque noftris, fed
etiam in euidentiffimum commodum &
emolumentum dominorum, adinuentas
effe, deprehendere fanè non poffumus, ex

d lib. 2. Herodot. Halicar. in Melpomene, fiue lib. 4.

e l. Quod fauore C. de legibus.

quibus

quibus motiuis masculi hac prærogatiua sint priuandi, eademque filiabus attribuenda, hoc enim admisso, contra expressam vulgatamq; regulam iuris (vti dictum est) multa absurda admitteremus, *Quod enim ob gratiā alicuius conceditur, nō est in eius dispēdium retorquendum*, f quamuis Canonistę & hāc regulā suis, vel quasi, spiritualib. tantū attribuere velint, g excepto minorenne qui aliquid sine tutore agere intendit. Et vt numero dicamus, fauor hic filijs indultus, incrementum latens in se continet, quod miseræ querulantes apertis oculis non videre, nedum ratione comprehendere possunt. Hocinsuper statutum quod disponit, masculis extantibus filias (nulla ēt adhibita renunctiatione) vsque adeo excludi, etiam ad nepotem largo modo eum filium appellando, extenditur: h in statutis enim respicientibus qualitatem personæ, receditur sæpè à proprietate vocabulorum, idque eò, quia ex parte masculorum tale statutum est fauorabile, licet fœmellis quodammodo odiosum appareat, sed non est ob rationes i sæpedictas, & eas quæ subsequuntur. Atque hæc de Fauore. 7

f c. Quod ob gratiam de reg. iur. iu 6.

g Gloss. in d. c.

h Iaf. in l. non dubiū nu. 42. C. de legibus Bart. in l. liberam ff. de verb. signif.

i Iaf. in l. Qui se patris C. vnde liber. num. 57.

DE ODIO.

SVMMARIA.

1. *Odij reconciliatio triplex.*
2. *Vtilitas priuata.*
3. *Dos congrua maritos reddit contentos.*
4. *Diuortium dicitur à mentium diuersitate.*
5. *Mors melior vitâ.*
6. *Insanire cum ratione.*
7. *Agnatorum honor auget filiarum honorem.*

CAPVT TERTIVM.

CVm satis demonstratum sit, quas ob causas queribundæ filiolæ ob renunciationem masculos odio habeant, nos ad exemplum & institutionem Saluatoris nostri Christi, odientes nos amore prosequemur. a Apud Ciceronem extare nouimus, Odij reconciliationem tripliciter fieri posse: aut enim precibus mitigatur: vel vtilitate deponitur: vel vetustate sedatur. Ex hisce tribus mediũ nobis retinendum esse putamus, vtilitatem nimirum: nam

1 (margin, beside "quemur")

a Luc. cap. 6.

nam vt inquit ille: b [b] Ouid. lib. 2. de ponto.

Turpe quidem dictu, sed si modò vera fatemur,

Vulgus amicitias vtilitate probat.

Hanc aũt vtilitatem, quæ nostrę renunctia- 2
tioni interuenit, in sola æqualitate consi-
stere, extra omne dubium est, finis enim
renunctiationis eò principaliter tendit, vt
per prænominatos gradus, Illustres, Gene-
rosas & Nobiles personas, æqualitas inter
filias obseruetur, vt pro modo facultatum
dote congrua & decenti, facta Renunctia-
tione, maritis domum deducantur: cur e- 3
nim misera te torques & laceras, cum ta-
men videas, dominum & maritum tuum,
quali quali etiam dote tecum conten-
tum esse? Succurrant tibi ea quæ paulò an- [c] Suprà cap. 9. part. 3. num. 2.
tè tibi diximus. c

Splendidè ad Sponsi maritiué domum deduceris: eandem omnibus necessarijs instructam & ornatam reperis, & licet de tuo nihil ibi sit, nihil tamen tibi desit, tu modò vide, ne occulti diuortij auctor sis: Accommodes te moribus mariti, & ille vicissim tuis etiam contentus erit, vbi enm mentium tanta est diuersitas, vt ferè in nullo inui-

inuicem concordare vel conuenirę velint, ibi ſanè verum, merum & viuum eſt diuortium, quod à mentium diuerſitate dicitur eò, *quod in diuerſas partes eant.* d Caue ne omninò implacabilis, maritiué tui perpetua irritatrix, & ſic verus & incarnatus Diabolus marito ſis, aliâs mors melior vitâ, ad quod haud inconcinnè alludere Plautus e videtur, dum ait: *Neque eſt melius morte in malis rebus.* Et ſanè, ſi prima vice, primoq; quaſi intuitu in matrimonio tuo omnia rotunda omniq́ue ex parte quadrata eſſe volueris, nihilo reuera plus agas *quàm ſi des operam vt cum ratione inſanias.* f Odioſa igitur reſtringere hac in re, artis haud exiguæ eſt. Si ex voto, contra renunciationem hanc ſalutarem, quaſiq́ue ſtirpium conſeruatricem, tibi omnia ſuccederent, omniaq́ue tecum ex tua ſtirpe in aliam transferres, quid aliud ageres, quàm quod ſtudiosè familiam tuam propriã radicitus euellere conareris, aut ad turpia ſubeunda cogeres? Modico igitur decenti, honeſtoq; contenta ſis, & cætera agnatis tuis maſculis cõmitte, quorum res ſi locupletantur, honoris dignitatisq́ue incrementum ſi augetur, & tu-

d l. Inter diuortium ff. de verbor ſigni. & ibid. Alciat.

e Plautus in Rudente.

f Terent. in Eunuch.

& tuum honorem tuamque dignitatem æquè augeri & cumulari certò tibi persuadeas, & hoc pacto odium quod ob lucellum exiguum contra fratres agnatosué tuos cõcepisti, per dominum maritumué tuum locupletem restringitur.

DE FAMILIIS.

SVMMAE RERVM.

1. *Renunciationis negotium conseruationem totam familiarum concernit.*
2. *Familiæ verbum ad quos referatur.*
3. *Sexus masculinus dignior fæminino.*
4. *Filij appellatione qui veniant.*
5. *Liberi patris non matris familiã sequuntur.*
6. *Fœminæ familiæ suæ finem faciunt.*
7. *Agnatione non cognatione familiarum status distinguuntur.*
8. *Reges & non Reginæ ex familijs eliguntur.*
9. *Imperium muliebre plærunque sanguinolentum.*
10. *Galliæ triplex status satis dispar.*
11. *Angliæ bella intestina & cruenta, ob Reginæ gubernationum.*

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

FAmiliarum in hoc Renunctiationis opusculo, mentionem fieri frequentem scimus, nec immeritò: totũ enim negotiũ,
1 conseruationem earundem concernit, de quib. ab initio & haud ita pridẽ diximus. a Ne autem à scopo aberremus, Pauli & Caij Iureconss. verba strictè nobis obseruanda veniunt, cum Familiæ verbum non solùm ad personas ingenuas, sed etiam seruilis cõditionis referri possit. b Antequam autem
2 latius progrediamur, pauca quædã de præexcellentia prolis masculeæ nobis erunt perpendenda. Ex sacris Biblijs luculenter constat, Deũ omnipotentẽ masculum primò creasse, deinde verò fœminam tanquã adiutorium ei fecisse. Verùm si Moysis cõtinuationem rectè inspexeris, excepta sola Eua, matre nostra communi, non multas inuenies mulieres, quarum ipse Moyses in specie mentionem fecerit: c ex quibus sanè nemo non deprehendere poterit, masculi-
3 num sexum fœminino longè præstantiorem esse, meritò igitur prærogatiua peculiari præ fœmina gaudet. In hac sanè re, Icti Pauli

a Causa 1. cap. 2. & hæc causa 4. cap. 4.

b l. pronunctiatio per reg. ff. de verb. signif.

c cap. 5. & c. 10. Genes.

Pauli verba nos tantopere non remorantur, inquientis, *Filij appellatione contineri omnes liberos,* d in quod idem recidit quod Iᴄtus Paulus clarius paulò pòst exprimit, dũ ait, *Pronunctiatio sermonis in sexu masculino, ad vtrunque sexum plerunque porrigi.* e Hæc Iᴄti verba sic intelligenda esse censemus, vt dignius & pretiosius minus dignum ad se trahat, sidque honoris & sanguinis gratia: nec est quod in hac appellatione plus æquo curiosiores simus, cum idem Iᴄtus hanc legem hisce verbis finalibus claudat, g *Mulier autem familiæ suæ & caput & finis est.* Finem suæ familiæ esse manifestum est, liberi enim ex ea procreati, non in eius, sed in patris familiam reputantur, id quod Caius disertioribus verbis demonstrat, dum ait, *Fœminarum liberos in familia earum non esse, palam est, quia qui nascuntur, patris, non matris familiam sequuntur.* h Hæc sanè Caij verba ad filias referri non posse, certum est, cum ex præcedentibus satis liqueat, quod nubendo cum omnibus in aliam familiam transeant & sic in semetipsis familiæ suæ finem faciant.

d l. filii ff. de verb. signif.

4

e d.l. pronunct. in princip.

f §. Si in aliena Inst. de rer. diuis.

g d.l. pronunct.

5

h l. familiæ §. fœminarum d.t.

6

Quod

Quod autem caput ſuæ familiæ, à Ictô dicuntur, ſic intelligendum eſſe putamus, quod caput ſuæ familiæ, in quam nubendo tranſeunt, per generationem educationemque prolis maſculeæ caput exiſtant; quo dubio procul & Ciceronem reſpexiſſe putamus, inquientem, [i] *In ciuitatibus ratione quadam agnationibus familiarum diſtin-*
7 *guuntur ſtatus*: nec enim dicit *cognationibus*, ſatis innuens, familias ab Agnatis & non à Cognatis, nomen, honorem, & omne incrementum ſortiri. Hoc demum ex omnibus hiſtoricis colligere poſſumus, apud pleraſque gentes, [k] Reges ex familijs electos
8 fuiſſe, & non Reginas. In illis autem regnis vbi ordine præpoſtero ſumma rerum gubernacula penes mulieres fuere, quid quæſo noſtra tantum ætate, aliud præſtitêre, quid laude dignum & memorabile effecêre, quàm quod innocentis ſanguinis pro-
9 fuſionem, regnorumque florentiſſimorum deuaſtationes execrandas in ſua quaſi viſcera inuexerint? Ob oculos quotidie nobis verſatur florentiſſimi totius Europæ regni Galliæ deploranda deuaſtatio, quam prima vice ſub Rege Henrico II. in flore vidimus:

i Cic. de legibus.

k Alex. ab Alex. lib 4. cap 23.

dimus: ſub Franciſco II. & Heinrico III. in mœrore reliquimus. Tandem & tertia vice ſub eodem Heinrico & quaſi profuga- 10 to, Polonorum Rege in cinere liquimus. Harum autem lanienarum, deuaſtationū euerſionumque omnium, Regina mater Catharina de familia Medicea, non ſolùm ſpectatrix ſed inuentrix & nutrix eſſe volebat & erat.

Inter Anglos, poſt obitum Eduardi eius nominis ſexti, Regis Angliæ Chriſtianiſſimi, funeſta ſatis cruentaque bella geſta fuêre: Verùm hæc bella Anglis potiſſimū ob Reginæ teneram ætatem, Procerumque factioſorum perfidiam, quin & regnandi cupiditatem ſuſcitata fuêre.[l] Romanorum res geſtas ſi perluſtrare voluerimus, deteſtanda exempla reperiemus; vnicum adduxiſſe ſufficiat, cuius Tit. Liuius mentionem facit,[m] de Tarquinio Superbo nimirum eiuſque coniuge Tullia, hiſtoria ſanè notatu digniſſima, in tantum etiam, vt quaſi per exclamationem eo loci Liuius dicat. *Initium turbandi omnia à fœmina ortum eſſe*: quod ſanè & nos miſeri omnes in communem noſtram matrem torquere poſſemus,

[l] Io. Sleid. lib. 25.

[m] Liuius lib. 1 dec. 1. circ. fin.

mus, ſed Hylam inclamaremus. Et hæc de familijs dicta ſufficiant.

DE PACTIS GENTILITIIS.

SVMMARIA.

1. *Familiæ peculiaria habent pacta.*
2. *Tranſactiones pactis priores.*
3. *Filiæ malè contentæ.*
4. *Pacta præſtant legibus & iuri.*
5. *Pacta gentilitia iuri ſunt contraria.*
6. *Renunciatio iuri contraria.*
7. *Diuerſæ intentiones & fines edictorum & Renunciationum.*
8. Burgkfrieden/Erbverträge/Brüderverträge.
9. *Aquiliana ſtipulatio & acceptilatio.*

CAPVT QVINTVM.

CVm hactenus de familijs dictum ſit, de earundem pactis & transactionibus pauca ſubijcere res ipſa poſtulat: nulla enim

enim domus vel familia Principũ, Comitũ Baronũ, & ferè plęrorumq; Nobilium eſt, quæ non ſpecialia pacta vel transactiones ſcripto comprehenſas, habeat. Pacta recẽtiora, Transactiones antiquiores eſſe, certò 2
nobis ob ſequentes rationes perſuademus: eò enim viui peruenimus hocq; præcipua Germaniæ benè cõſtituta dicaſteria & conſiſtoria non ſine moleſtia teſtatum faciunt; Mulierculas malè contentas, huius rei gratia, graues ſæpiſſime ſuſcitaſſe controuerſi- 3
as, inutiles ſumptus, familiarumq; propriarum diſſipationes cauſatas eſſe & adhuc cauſari: queribundæ enim maleq; contentæ filiolæ parentibus hinc inde ſæpiſſime fomitem & materiam rixandi porrexêre, quib. moti, per maturas deliberatasq; tranſactiones, ſpecialia quædam pacta, per ſingulas quaſi domos & familias ſcripto comprehenſas, fecerunt, quæ ſtipulata manu, quin & iuramento confirmata, in hac vel illa familia, in infinitum per deſcendentes ſuos ſe ſeruaturos ſanctè promiſerunt, de 4
quibus Cicero non vno in loco procul[a] dubio loquitur, dum ait: *Pacta præſtant legibus*, & alibi haud aliter: *Pactum præſtat Iuri*:[b]

[a] Cic. de inuentione.
[b] Ad Herennium.

Hæc inquam gẽtilitia pacta, vrunt mulier-
culas, sed feruor hic per paulò antè dicta fa-
cilè restinguitur, quo etiam eas remitti-
5 mus: Pacta .n. hęc gentilitia, quamuis cõtra
ius quodammodo videantur facta, optimo
saluberrimoque tamen iure tolerari, ijsque
salua conscientia stari potest, non enim ad-
uersantur edicto Prætoris qui ait: d *Pacta
conuenta quæ neque dolo malo, neque aduersus
leges, plebiscita, Senatusconsulta, edicta, decre-
ta principum, neque quo fraus cuique eorum fi-
at, facta erunt, seruabo.* Hîc sanè rem lyn-
ceis intueamur oculis oportet, ne in horũ
quoduis impingamus, quia Renunctiatio
6 nostra cunctis & singulis hisce diametrali-
ter repugnat. quorsum igitur? Hic modus
licet Herculanus appareat, sine eiusdem
tamen gladio dissolui potest. Primò finis
7 & intentio Prætoris consideranda est: De-
inde verò animus, intentio & finis eorum,
qui renunctiationi initium dedere, & eo-
rum, quorum gratia renunctiatur. Prætor
suo edicto longè respicit, omnesque à sum-
mo vsque ad infimum comprehendit, lo-
quitur enim generalissimè Vlpiano e teste,
de *Fide humana* inquiens: *Quid.n.tam cõgru-
um fi-*

c Suprà cap. 2. hac 4. causa.

d l. iurisgentiũ §. Prætor ait ff. de pactis.

e l. 1. in prin. ff. d. t.

um fidei humanæ, quàm ea ſeruare, quæ inter eos placuerunt. Renunctiationum verò authores & conditores ſuas tantummodò reſpiciunt familias, extra haſce enim neminem ligare vel conſtringere poſſunt, nam eatenus effectus ſuos renunctiationes extendere non poſſunt; rectè igitur & congruentur maiores noſtri eiusmodi tranſactiones & pacta, vernacula noſtra lingua nominârũt Burgkfrieden/ Brüderverträge/ Erbverträge / quæ ſanè noſtro iudicio ſub paucis verbis comprehendi & dici poſſunt *Transactiones & pacta gentilitia*, nec facilè diſiungi ſeparariué hæc duo poterũt, cum ipſi Imperatores, Gratianus, Valentinianus & Theodoſius ea coniunxerint, inquientes: f *Vbi pactum vel tranſactio ſcripta eſt*, quamuis differentia pactorum & tranſactionum nos non lateat. Temerariæ procaces eiulantesque mulierculæ, ſi Imperatorum verba rectè perpenderent, querulandi finem facilè inuenirent, continent enim in ſe Aquilianam g ſtipulationẽ, nec non acceptilationem, quæ omnia in hac renunctiatione comprehenduntur, nec ritè etiam ſubſiſtere poſſent, niſi conſenſus illo-

S

f l. vbi pactum C. de tranſactione.

g l. vt reſponſum & d. l. vbi pactum C. d. t. ſ. item per ſtipulationẽ Inſt. Quib. mod. tollit. oblig.

illorum qui renunctiationi interueniunt, adhiberetur.

DE TRANSACTIONIBVS GENtilitijs.

SVMMARIA.

1. *Transacta quae dicantur.*
2. *Transactio nullo dato non procedit.*
3. *Transactio & Renunctiatio in quibus differant.*
4. *Transactio & Renunctiatio in quibus conueniant.*
5. *Poenitentiae in vtroque non est locus.*
6. *Renunctiatura persona de omnibus certioratur.*

CAPVT SEXTVM.

QVoniam in transactiones incidimus, easdem, quatenus ad Renunctiationem nostram accedant, videbimus, idque breuiter: & vt clarius demonstremus, quomodo inuicem distent transactio & renunctiatio

ctiatio nostra, Icti verbis rem planam faciemus, ait enim Paulus, *Transacta finitaue intelligere debemus, non solum de quibus contro-* 1
uersia fuerit, sed etiam quæ sine controuersia sunt possessa: a hæc verba idem Ictus per subsequentia latius explicat, inquiens: *Vt sunt iudicio terminata, transactione composita, longioris temporis silentio finita.* b Et certè vt transactio nullo dato vel retēto c non 2
procedit, sic vice versa Renunctiatio etiamsi nihil detur, procedit, de quibus suprà quoque, vbi etiam plusquam exiguæ dotis mentionem fecimus, d dictum est.
Renunctiatio fit rei certæ, omnique con- 3
trouersiæ exemptæ, quinimò ad præcauendam omnem litis ansam: Transactio verò contrà de ijs rebus, quæ iam in lite aut breui in litigiosum statum deuenturæ sunt, initur. In eo tamen quodammodo conueniunt, quod à transactionibus bona fide interpositis, non facilè discedendum sit, rationem huius rei Imper. Philippus subdit, *nullus etenim*, ait, *erit litium fi-* 4
nis, si à transactionibus bona fide interpositis cæperit facilè discedi e: quod idem in Renunctiatione accidere videmus, in hac enim

a l. Transacta ff. de verbor. signif.

b l. vt sunt ff. d. t.

c l. Transactio C. de transact. & l. 3. C. de re pud. hæred.

d Caus. 2. num. 6.

e l. fratris tui C. d. t.

ſola præmeditataque bona fides adhibenda eſt, in tantum etiam, vt contrarium, mala nimirum fides, nequaquam præſumendum ſit, cum totum renunctiationis negotium non inter extraneos, ſed inter parentes & liberos eorumque agnatos tractetur: Præterea in tranſactionibus pœni-
f l. Quamuis C. d. t. tentia locum non habet, f niſi dolus interueniat, aut ea, ſuper quibus tranſactum eſt, non tradantur vel præſtentur: in Renunctiatione noſtra debito more celebrata & perfecta, pœnitentiæ locus omnis præcluſus eſt, locum enim habere non poteſt, quia perſona renunctiatura, de omnibus prius
6 certioratur & auiſatur, de quibus & ſuprà dictum eſt. g Ex paucis hiſce quilibet perci-
g Cauſa 3, nu. 8. pere poteſt, tranſactionem cum renunctiatione in quibusdam conuenire, in plærisq; tamen etiam inter ſe diſcrepare, quæ diſcretus lector facili inueſtigatione adhibita, absque moleſtia percipere poterit.

DE RESERVATIONE QVAE RENVNCTIATIONI inſeri ſolet.

SVM-

SVMMARIA.

1. *Lachryma citò arescit.*
2. *Fletus dolorem explet.*
3. *Masculis, deficientibus fœminis, ius saluum manet.*
4. *Filiarum Salphaad postulata.*
5. *Reseruatio vitiatur & non vitiat.*
6. *Monachi in mundo extra mundum viuunt.*

CAPVT SEPTIMVM.

NE filiarum nostrarum lachrymæ in 1
cassum arescant: nihil enim ex Apol- [a] Cic. de Inuēt.
lonio citius arescere Cicero refert, a quàm
lachryma, easdem illis vt abstergeremus
æquum & dignum esset, nisi Ouidianum
illud diuersum suaderet, lachrymasq; arescere mallet, his verbis: *Fleque meos casus, est quædam flere voluptas: Expletur lachrymis,* 2
expellũturq; dolores. b sed hæc obiter: omnia [b] Ouid. lib. 4. de
.n. in hac renunctiatione ad viuũ resecare, Testibus.
miserisque filiabus nihil reseruare velle, inhumanissimum foret; Clausulam igitur
illam Renunctiationis formæ pro fialibus

ſaluberrimè inſertam, huc retuliſſe, ne inhumanitatis incuſationem incurramus, è re filiarum fore ſperamus, quæ huius ſunt tenoris: *His tamen* (maſculis videlicet) *non*
3 *extantibus, ius noſtrum hæreditarium nobis reſeruamus*: c Succinctis hiſce verbis plura ſolent addi, ne autem à nobis id fiat, prædicti modi & authenticæ formæ tranſactionum pactorumque gentilitiorum nos auocant, quia ſingularum familiarum conditiones hæc demonſtrabunt. Huc ſanè congruentiſſimè referri poſſunt poſtulata filiarum
4 Salphaad, quarum ſupra quoque meminimus, d præſertim autẽ ſi res maſculeæ prolis in ſtatum hunc funeſtum deductæ fuerint, hoc enim luctuoſo caſu emergente, ipſa natura filiolas ad ea, quorum capaces ſunt, vocat. Circa hanc materiam Reſeruationis DD. tradunt, e eam vitiari, & non vitiare rem exemplo monachi in monaſterium ſiue ordinem ingredientis, & aliquid ex bonis ſibi reſeruantis, illuſtrant: Hanc re-
5 ſeruationem, quoad bona quædam valere non debere, ſed quoad æſtimationem eorundem, quod D. Iaſoni ridiculum videtur; Rationem hanc eſſe putamus, quod cucul-

c Cauſ. 3. c. 1.

d Cauſ. 1. nu. 4.

e ex l. Certa §. Item quæri ff. de leg. Iaſon. ib. num. 8.

cucullati & raſi monaſteria ingredientes, omnibus mundanis rebus renunctiare coguntur, ergo fruſtra ſibi quicquam ex bonis parentum aliorumué reſeruant, cum in mundo extra mundum viuere teneantur:
Reſeruatio ſanè filiarum, de qua nos agimus, in ſatis immenſum ſeſe extendit, vt & 6
hæc ridicula videri poſſet in familijs numeroſis, proleque maſculea abundantibus. Verùm cum longo vſu ita introductũ, longaq; conſuetudine obtentum ſit, meritò & nos fauorabilem hanc reſeruationem concedimus, res enim tam noua vel inuſitata non eſt, vt per mortem aliaué inconuenientia, præclariſſimæ numeroſiſſimæq; familiæ extirpentur, exemplis non indigemus, res enim ipſa loquitur, deque eadem re & ſuprà f dictum eſſe ſcimus.

f Suprà caut. 2. cap. 6. num. 5.

DE VOTO CAPTANDAE MORTIS.

SVMMARIA.

I *Veritatis exhortatio pulchra.*

2. Licen-

2. *Licentia causa malorum.*
3. *Per licentiam inducitur votum captandæ mortis.*
4. *Votum requirit deliberationem.*
5. *Mors alterius non expectanda.*
6. *Filiæ scrupulosæ satis.*
7. *Decrementum hic, incrementum alibi.*
8. *Quæ in animo consistunt, quatenus animo perficiantur.*
9. *Epicurei descriptio.*

CAPVT OCTAVVM.

DVram admodum prouinciam nunc suscipimus: veritatem enim, odium parientem, dicere statuimus, licet gratiam mereamus paruam, Plauti verbis igitur in-
1 nitamur, dum ait: *Nolo ego te assentari mihi*: [a] *ego verum amo, verum volo dici mihi, mendacium odi.* Si igitur id quod res ipsa latenter in se continet, dicere fas est, per prædictam Reseruationem filiabus ad votum & spem interitus prosapiæ Masculeæ, damus, idque ob solam Licentiam, Comicus enim ille ait, *Verùm nimia illa licentia euadet profectò*
2 *in magnum aliquod malum,* b & alibi de eadem,

[a] Plaut. in Mustellaria.

[b] Terent. in Adelph.

dem, *Licentiâ omnes ſumus deteriores.* c Sed quid ꝓdeſt multis in miſeras debacchari, cum omnes in eodem ludo ſint edoctæ, communis enim mater noſtra Eua, cum Diuino largiſſimoque ſibi dato indulto, vt de omnibus fructibus arborum Paradiſi, excepta ſola maledicta arbore, de qua ne veſceretur, Summus Deus præceperat, contenta non erat: ſed inſatiabilis ipſa, contra expreſſam inhibitionem Dei, cæteris fructibus (vti dictum) non contenta, & hoſce deguſtare voluit. Idem & nobis cum noſtra licentia & Reſeruatione eueniet, per ſolam 3 enim hanc, captandæ mortis votum, non quidem viſibile, ſed in ſpe & expectantia conſiſtens, inducimur: Dum enim fratres & agnati, helluando, militando, cœlibemque vitam (vel quaſi) viuendo, vires & vitam conſumunt, interitu miſerorum filiolæ gaudent. ſed faceſſant hæc, cum haud ita pridem eorundem quoque mentio facta ſit. d Latens ſanè hoc votum captandæ mortis, non ſolùm mulierculas, ſed etiam maſculos pleroſque ſtimulat, non attento, quod expreſsè contra decalogum fiat: Sique vlla in re votum deliberationem requirit,

c In Heautoſtim.

d Cauſ. 1. num. 5.

quirit, e certè in hoc casu tantùm tam præmeditatè res agitur, vt etiam longa deliberataque promeditatione progrediatur: cogitationes enim nostræ eò plærunque tendunt, idque vnicum meditamur: Si hic vel ille sine liberis decederet, tuæ sanè res, rati-
4 one proximitatis, agnationis puta vel cognationis, in portu nauigarent, in hunc vel illum nimirum modum, omnia ex animi voto disponere velles, haud memores Horatij tanquam ethnici, pulcherrimi versus:
5 f *Quis scit an adijciant hodiernæ crastina summæ Tempora Dij Superi*: Quod idem & Cato quasi digito monstrat inquiens: g *Cum dubia & fragilis sit nobis vita tributa: In morte alterius spem tu tibi ponere noli*: Sæpenumero enim accidere videmus, vt hi, qui mortem aliorum expectant, ipsi priores moriantur.
6 Nec est quod dubitemus, filiolas nostras exceptione quadam plausibili se tueri non posse, cum aliâs in plerisque satis sint scrupulosæ, prætendere namq; solent: Portiones sibi attributas vel destinatas nimis exiguas quin quasi nullas esse, præsertim autem vbi splendida etiam feuda solis masculis obueniant. Sed contentæ sint,

quæ-

e Decius in l. Quicquid ea lore in 3. ff. de reg. iur.

f Horat. ode 7. lib. 4.

g Cato lib. 1.

quæsimus, congrua dote, earumque supplementum à maritis suis (vti suprà h dictum est) expectent, & sic decrementum, quodué illis hac in re detrahi sibiué decedere putant, per mariti splendida feuda vniuersaq; cætera bona quasi insperatum incrementum, & (vt breuibus exprimamus) tanquam hæreditatem sine sacris, multipliciter illis denuò accedit. Et quoniam in puncto voti mortis captandæ versamur, in genere masculino rem vnico exẽplo demõstrabimus, fœmininũ genus hoc in casu sine molestia pertranseat. Generosam quandam personam, ætate nunc satis prouectam nouimus, præter filias nullum hæredem, neque ex ascendentibus, collateralib. vel descendentibus, habentẽ, quæ tamẽ omnes honestis Generis elocatę erant: Hi Generi, cum non solùm ætatem sed & valetudinem raram & dubiam soceri sui considerassent, tempestiuè satis, socero adhuc per multos annos viuente, (contra τὸ πρέπον) apud dominos feudorum per expectantias & promissiones sibi prouidebant, feudaque in hunc casum impetrabant. Quod cum decrepitus lan-

h c.3.nu.3. hac causa 4.

7

languidusque ſocer reſciuiſſet, omnes arces caſtellaque etiam ſplendidiſſima, quæ tanquam vaſallus poſſidebat, ſtudioſa incuria, in tam ruinoſum ſtatum, nullis adhibitis ſartis tectisué, deuenire patiebatur, vt nullæ creaturæ niſi bubones & noctuæ, hiſce in arcibus habitare poſſent: Ea propter, cum à familiaribus ſuis & cur talia admitteret, quæſitus fuiſſet, in hunc ferè modum reſpondebat: Generi mei feuda & hæreditatem meam, me adhuc viuo, attamen inſcio, adierunt animoq; occupârunt; Si igitur poſſeſſio illorum animata tantæ eſt efficaciæ, vt cuncta poſſit occupare, eodem
8 etiam animo ſine me, cuncta per ruinam deuaſtata, reſarciendo, denuò reædificare poterunt: hacque ratione præcocem præmaturamque Generorum ſuorum mortis captationem ſe viuo adhuc vindicabat. Ingenium hominis huius planè contrarium erat ingenio Comici noſtri [i] qui ait: *Si quiſquam eſt, qui ſe placere ſtudeat bonis quamplu-*
9 *rimis, & minimè multos lædere, In his poeta nomen profitetur ſuum*: Hic verò Comes noſter (vt Gallicis vtar verbis) tout au rebours, & præpoſterè omnia agebat: Omnibus enim bonis

[i] Terēt. in princip. prologi ſui, in Eunuch.

bonis vt displiceret, per omnia studebat, vtque multos læderet, operam dabat, hominem si viuere vidisses, quarta luna natum fuisse dixisses: Epicureus erat summus & tamen nullo cibo potuue delectabatur: hicque solus finem, moriendo familiæ suæ quondam splendidissimæ faciebat, requiescat igitur cum patribus in pace.

DE FINE, ET QVOMODO RENVNCTIATIO NOstra finiatur.

SVMMARIA.

1. *Coronam ædibus imponere quid significet.*
2. *Morti omnia sunt subiecta.*
3. *Filiæ vndequaque vocantur ad bona.*
4. *In feudis filias excludi.*
5. *Extra feuda etiam semel exclusa filia perpetuò manet exclusa.*
6. *Masculo deficiente, fœmina exclusa admittitur.*
7. *Statutum fœminas excludens, per defectum masculorum eas admittit.*
8. *Anomalus hæres quis dicatur.*

CAPVT NONVM.

1 NE institutum nostrum instar circuli, cuius finis reperiri non possit, cum tamen initium habuerit, cuiquam appareat, ad finem progrediamur oportet. Solent.n. architecti, fabrè omnibus asciatis, dolatis, perfectis, ædibusq; extructis, supremæ cōpactionis particulæ coronā imponere, per cuius impositionem innuere volunt, architecturam & structurā totius machinæ domus absolutam nunc esse. Eosdem & nos imitabimur, faciendoque finem, opusculo nostro corollarium imponemus. Et sanè aptius magisq; conueniens opusculo nostro imponere non possumus, quàm *Mortem*, de qua Ouidius a apprimè loquitur:

a Ouid. ad Liuiam 3. Elegiar. lib.

2 *Fata manent omnes, omnes expectat auarus*
Portitor, & turbæ vix satis vna ratis.
Tendimus huc omnes, metā properamus ad vnā
Omnia sub leges, mors vocat atra suas.

Nec refragatur Horatianū illud Ouidiano, dum ait: *Mors vltima linea rerum est.* b Quæ cum ita sint, nobisq; omnib. per quotidianam experientiam innotescat, ea quæ in pręcedenti capitulo dicta, tutò huc referre poterimus: absumpta.n. prole masculea

b Horat. lib. 1. epistol. Ad Quinium.

per

per mille quaſi modos moriendi in tantũ
etiam, vt haud rarò ex tota penè proſapia
vix vnica reſtet filia, hanc ſanè ad fratrũ &
agnatorũ bona, & Deus & natura nedũ lex
ipſa vocat: quamuis non ignoremus, à Do- 3
ctorib. quæſtionẽ hanc variè diſputari, c *An*
fœmina ſemel excluſa, per exiſtentiã maſculi, per-
petuò duret excluſa: quod quidã & præſertim
in re feudali obſeruari volunt, vt Curtius
notat, adducens ad hoc, textum elegantem
inquientem: *Non enim patet locus fœmina*
in feudi ſucceßione, donec maſculus ſupereſt ex 4
eo, qui primus de hoc feudo fuerit inueſtitus: d
hunc verò locum non ſolùm de feudis, ſed
etiam alijs rebus intelligi volũt, idem Cur-
tius adijcit ex Bartoli ſententia, e cum hac
tamen reſtrictione; Quando pactum ad- 5
iectum in inueſtitura diceret, quod fœ-
mina non ſuccederet (vti etiam in for-
ma Renunciationis) donec maſculus ſu-
pereſſet, licet fœmina per maſculum eſ-
ſet excluſa, deficiente tamen filio maſcu-
lo, admitteretur poſtea filia: Et paulò 6
poſt eodem loci idem Curtius ait, quod
extante ſtatuto, donec maſculus ſupereſt,
fœmina non ſuccedat, licet fœmina per

c vid. Franc. Curt. in tract. Feudor. part. 3. nu. 32. f. 50.

d In c. 1. de eo qui ſibi & hæredibus ſuis maſc. & fœmin. inueſtit. accepit.

e Bart. in l. final. ff. Ad Tertullian.

7 masculum fuisset exclusa, tamen deficiente masculo, postea fœmina admittetur,f quæ sanè ad hanc nostram intentionem satis adpositè facere putamus: appellaturque e-
8 iusmodi hæres Anomala, id est, irregularis. g Qui pluribus circa hæc delectatur, videat D. Curtium ibique reperiet aceruum allegationum & DD. Nobis hæc pauca sufficiant, eò enim auidum lectorem remittimus, nos iuxta promissa meritò ad finem properamus.

f l 2. ff. si pars hęreditat. petat.

g Gloss. in §. in primis in verba successor. Instit. de eo cui libet causa bon. addic.

RENVNCTIATIO FILII CVM IVRAMENTO PATRI facta an valeat.

SVMMARIA.

1. *Renunctiatio filij, patri cum iuramento facta, an valeat.*
2. *Sumptus studiorum gratia à filio facti, in diuisionem bonorum paternorum non computantur.*
3. *Vlpianus quando vixerit.*
4. *Papinianus ab Heliogabalo peremptus.*
5. *Parentes prudenter agentes.*

6. Re-

6. *Resuscitatio familiarum obscuratarum.*
7. *Incrementum per eruditos filios familijs accedit.*
8. *Friderici I. Imperat. Constitutio de Scholaribus.*
9. *De quibus Scholaribus Imperator loquatur.*
10. *Renunctiatio in plærisque fieri potest.*
11. *Diuersa renunctiationis ratio inter filium & filiam.*
12. *Peculium quasi castrense verum filij studentis.*
13. *Dignitas à filio cum sumptu consecuta in cõmunes sumptus confertur.*
14. *Pactum de non succedendo cum iuramento valet.*
15. *Iuramentum voluntarium.*
16. *Obligatio naturalis inter patrem & filium.*
17. *Emancipatio hodie quæ sit.*

CAPVT DECIMVM ET VLTIMVM.

SErto quod operi nostro imponere conamur, ne flos quispiam desit, vnicum hunc inflectere cæterisque adhuc floribus

1 adiungere placuit, Num videlicet renunciatio filij super hæreditate paterna, patri cum iuramento facta, valeat, & de iure subsistat. Et ne latius quàm par sit, in tractatione huius quæstionis euagemur, intra septa nos continebimus cumque solo scholare, homine nostræ farinæ, tractationi huic finem faciemus: De renunciatione enim filij, quam respectu paternorum bonorum faceret, tractabimus, quia nullibi per hunc tractatum, quoad hanc quæstionem & renunciationem, filij mentionem fecimus. Pro commodiori autem expeditione huius quæstionis, adhibebimus ICti Vlpiani verba quæ ex lib. 2. disputationū desumpsit, huius tenoris: a *Quæ pater filio emancipato, studiorum gratia peregrè agenti subministrauit, si non credendi animo pater misisse fuerit com-*

2 *probatus, sed pietate debita ductus; in portionis rationem, quæ ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit, computari æquitas non patitur.* Domitij Vlpiani verba hæc ex lib. 2. dispu-

3 tationum desumpta esse, ipsa epigraphe denotat. Vlpianus autē sub Antonino Caracalla XXII. Imperatore vixit, b cuius etiam Adsessor, ab eoque tandem officio tanquā

a l. Quæ pater ff. l. ff. Famil. ercifcund.

b Anno Christi 219.

vir bonus remotus fuit, cum haud ita pri- 4
dem Papinianus insignis Iɛtus ab Helioga- [c] Lamprid. in Heliogab.
balo c securi percussus fuisset, quod parricidium in fratrem cõmissum defendere vel excusare noluerat. Ex hac inscriptione legis, colligere possumus, & olim disputationem hanc inter liberos, qui partim in scholis, partim verò in re familiari vel domestica à parẽtibus enutriti & educati fuere, agitatam fuisse. Rem igitur non nouam neque inusitatam, sed præsagacibus filiabus & mulierculis subinde querulantib. be- 5
nè notam aggredimur. Patres enim sobole masculea benedicti & aucti, si filios ad scholas externas mittunt, eosq; clarissimis excellentissimisq; viris & professorib. regenerãdos, recoquendos & in vniuersum reformandos cõmittunt, hancq; in rem sumptus quandoq; satis graues faciũt (prout omniũ Vniuersitatum totius penè Europæ mos & consuetudo nunc fert, nimiumque inoleuit) stẽmataq, & familias suas per diuinum & excellens hoc mediũ, quæ iã multos per annos situ & squalore, nescim⁹ quo, vsq; adeo obscuratę & quasi sepultæ delituêre, vt non rarò Nobilium, sed quandoq; ẽt

6 Comitum & Baronum nomen, per ſolam hanc barbariem interciderint, à mortuis quaſi reuocant & denuò reſuſcitant: delicatæ noſtræ filiolæ, quaſique Melitęi Catuli, hos ſumptus ægrè ſatis ferunt, ſemper metuentes, ne ſibi quid detrahatur vel deſit: ſtolidè nimisué curioſæ & inſatiabiles, apertis oculis quaſi cæcutientes, videre nō poſſunt, quantum honoris, commodi, incrementi & dignitatis, proprijs ſuis familijs, per excellentes hoſce fratres & cogna-
7 tos accedat: Si tam liberet quàm liceret rem hanc exemplis demonſtrare, integrũ & ſingulare opuſculum ea de re conſcribere haud laborioſum foret: Verùm in rebus notis, teſtatis & manifeſtis deſudare, nil aliud eſſet, quàm arenam maris numerare velle. Si prædictis Vlpiani verbis Imp. Friderici I. Authenticam, d præcipuè ſtudioſorum iuris honorificam mentionem facientem, adiunxerimus, quid quæſo præſagaces filiolæ habebunt, quod blaterando effundere poſſint? Imperatoris verba ſub-
8 ijcere non pigebit, ait enim: *Quis eorum non miſereatur, qui amore ſcientiæ exules facti, de diuitibus pauperes, ſemetipſos exinaniunt, vitam ſuam*

d Authent. habita C. Ne filius pro patre.

ſuam multis periculis exponunt, & à viliſſimis ſæpè hominibus (quod grauiter ferendum eſt) corporales iniurias ſine cauſa perferunt. Hæc Imperatoris verba ſatis pathetica, debita cum reuerentia de verè philoſophantibus & iuris ſtudioſis ſumēda, & non de e *gurgetibus & helluonibus* (vt cum Cicerone loquamur) *nec gloriæ & laudi ſed abdomini ſuo natis*, intelligenda ſunt, illorum enim venter Deus & philoſophia eſt. Valeant igitur. 9

e Cic. in Lucia Piſonem.

In explicatione huius quæſtionis duplicem conſiderationem adhibendā eſſe cenſemus, Renunciationis ſcilicet & iuramēti: Renunciatio in quibus fieri poſſit, generaliter loquendo ſuprà dictum eſt f vt neceſſe non ſit ea hoc loci repetere, inſtitutū enim noſtrum filias, & non filios regulariter concernit. Illud in confeſſo eſt; filiæ renunciationem de iure Ciuili non valere, multò minus igitur filij, præſertim autem patre adhuc viuēte, cum viuentis nulla ſit hæreditas: g De iure verò Canonico, diuerſum ſentiendum, eſtque longè alia ratio inter filium & filiam renunciantem: nam licet filius in hunc finem cum patre tranſigat contrahatué, vt ſumptus in ſtudia 10 11

f Cauſ. 1. cap. 2. nu. 6. ex l. ſi quis in conſcribendo C. de pactis & l. in conſcribendo C. de Epiſcop. iur. & cleric.

g l. qui ſuperſtitis ff. de acquirend. hæreditat.

necessariò conuertendos suppeditet pater, nihil tamen ex ijs in aliam familiam transfert, sed omnia quæ lucratur filius, eruditionem, puta, honorem & dignitatem, in communem totius familiæ honorem & dignitatem expendere, & rursus conferre videtur, hoc enim verum castrense peculi-
12 um vel quasi, filij scholaris esse putamus, quæcunque enim filio à patre in hunc finem dantur, post obitum patris in collationem non veniunt, sed à patre filio donata esse censentur, Vlpiano Icto testante sicque inquiente: h *Sed an id quod dignitatis nomine à patre datum est, vel debetur, conferre quis in commune cogatur, videamus. Et ait Papinianus libro tertio decimo quæstionum, non esse cogendum, hoc enim propter onera dignitatis præcipuum haberi oportere: Sed si adhuc debea-*
13 *tur hoc, sic interpretandum est, vt non solùm oneretur is, qui dignitatem meruit, sed commune sit omnium hæredum onus hoc debitum.* Hisce paucis filiabus querulantibus satisfactum sit, quamuis omni fastidio semoto plura adhuc adijcere possemus.

h l. 1. §. nec castrense, ff. de collat. bonor.

Ne iuramentum, cuius in quæstione hac

hac mentio fit, prætereamus, ex DD. illud adijciendum putamus: An pactum cum iuramento inter filium & patrem de non succedendo, & sic negatiuum de iure valeat & subsistat? Et concluditur vale- 14
re, quia non inducat votum captandæ mortis: Secus autem in pacto affirmatiuo, quia hoc potius votum captandæ mortis inducere videtur: i Hanc sanè renunctiationem potius transactionem sapere putamus, cum filius cum patre agat, vt sumptus ad studia necessarios, de suis bonis filio subministret, reliqua verò, pater sibi retineat. Hæcque conuentio inter patrem & filium absque omni iuramento celebrari fieriué potest, sique vllum interueniat, aliud non esse putamus iuramentum, quàm merè vo- 15
luntarium, de quo antea quoque dictum est, k & sic superfluum, quodque citra animæ dispendium præstari potest. l

Ad obligationem inter patrem & filium quod attinet, D. Iason m noster ait, eam esse sine efficacia, quando filius adhuc in potestate patris constitutus est, ideoque non

i l. pactum dotali C. de collat. & ibi D. Iason. ad longum.

k Suprà caus. 1. cap. 2. nu. 9.

l d. c. quamuis de pactis in 6.

m d. l. pactum dotali.

16 non nisi naturaliter [n] eum patri obligari: Subdit ex Odofredo, quod textus in *d. l. Frater*, intelligi debeat de filia emancipata: multò igitur magis de filio, tunc enim patri aliqualiter fortius obstringitur: intelligimusque verba de emancipato filio, de eo, qui nunc quodammodo extra paternũ panem (vt ita loquamur) viuit, præsertim autem illo, qui vel in matrimonio, vel publica [o] dignitate (quæ coniunctim & separatim in eandem personã cadere possunt) constitutus est, hos enim modernos emancipationis modos esse putamus, sublata per Imp. Iustinianum triplici venundatione:
17 quamuis per matrimonium sæpissime vẽditio nimis carè constet, sed hæc ἐξ ὁδοῦ. Atq; hisce Renunctiationi nostræ renunctiamus & valedicimus.

[n] l. frater à fratre ff. de condict. indeb.

[o] §. filiusfamilias Inst. Quibus modis ius patriæ potest. soluitur l. vlt. C. de cõsulib. lib. 12.

Quod restat, in gratiam cupidi sinceriq; lectoris, Consilia duo ab excellentissimis clarissimisq; viris in hanc rem scripta, opusculo huic subnectere placuit, ex quibus multa, quæ forsan à nobis prætermissa, vel nimis breuiter tractata sunt, supplere, faciliusque inuestigare lector poterit: Cuius prioris auctor est, Clarissimus Consultissimusq;

muſq; vir Ionas Weidenkopff/ Aduocatus & Iureconſultus nunc temporis Imperialis ſupremique iudicij Cameralis adſeſſor, vtriusque Iuris Doctor celeberrimus & digniſſimus. Alterius verò auctor eſt Clariſſimus Conſultiſſimusq; vir Ioannes Bayer, I.V.D. Illuſtriumque & Generoſorum Comitum à Schwartzburgk Cancellarius & Conſiliarius in Sundershauſen digniſſimus, quibus vale, ijsdemq; amice lector, benè fruere.

Finis Cauſæ quartæ.

CONSILIVM PRIMVM.

CASVS SEV SPECIES FActi est talis.

ES hat Weilandt der Wolgeborne Herr N. von N. Wolseliger Gedächtnuß / in zeit jhrer Gnaden lebens / jhrer Gnaden ehliche Tochter / Fräuwlein Arescusam, im verschienen Jar N. an den auch Wolgebornen Grauen Ascanium Ehlich bestattet / vnd jhr zu rechtem Heyratgut vnnd Heimstewr 6000. Gülden Franckfurter rechnung versprochen vnd zugesagt / mit den bedingten Worten / das gedacht Fräuwlin dargegen herbrachtem Brauch vnd Gewonheit nach / auff alle jre Vätterliche / Mütterliche / Erbschafften / auch die gantze Herrschafft vnnd Graffschafft N. verziehen / vñ eine verzihene Tochter seyn solte / aller ferrer innhalts deß Heyrats Brieffs / der solchs nach der lenge vermeldet. Darauff hat gemelt Fräwlein nach geschehenem Beyschlaff / in beyseyn vñ

mit

mit verwilligung wolbedachts jhres Herrn vnnd Ehegemals / Grauen Ascanij &c. in vorberürte Heyratsverschreibung gewilligt / vnd einen verziegk gethan / darinn sie sich / vor sich vnd alle jhre Erben / bey jhren Gräuenlichen Ehren vnd guten waren Trewen / an geschwornen Eydts stat / aller forderung vnd Erbgerechtigkeit / so sie oder jre Kinder (da sie deren bekeme) vermög der geschriebenen Rechten / zu jres Herrn Vatters vnd FrawMutters Haab vnd Gütern / ligenden vnd fahrenden / wie oder woran das were oder genant werden möchte / gantz nichts außgenommen noch hindan gesetzt / vnnd bevorab auff die N. Graffschafft / vnnd alles darzu vnd was noch künfftig gefallen oder gehören möchte / gäntzlich verziehen vnd begeben / dero gestalt / daß sie oder jre Erben / noch jemands von jrentwegen / derenthalben hinfuro ewiglich einige anforderung / anspruch / oder anlangen nicht haben sollen oder wöllen. Sich auch aller Priuilegien vnnd Freyheiten / die jren Gnaden oder den jhren dagegen zu behelff kommen möchten / in gemein vnd insonderheit / gäntzlich vñ wissentlich vñ wolbedächtig verziehen / es were denn

sach /

ſach/daß alle jhrer G. Vettern ohne ehliche LeibsErben mit todt abgiengen/ auff welchen Fall vielgedacht Frewlin jr/ jhr gebürlich Erbgerechtigkeit vorbehalten/ ꝛc. Alles fernern inhalts deß verziegsbrieffs darüber auffgericht/welchen viel gedacht Fräwlein mit jhrer G. eigen handen/ beneben jhrem Herren vnd Gemahel seligen/ vnderſchrieben/ auch wolgedachter jhrer G. Gemahl denſelben mit jhrer G. groſſen Inſiegel beſiegelt.

Nachgehents iſt der Vatter Hector inteſtatus verſtorben/ vnd nach ſich im Leben viel gemeldte jhrer G. Tochter Fräwlin Areſcuſam vnd zween Brüder N. vnnd N. Grauen zu N. die ſich jhrer G. Bruders Herrn Hectoris wolſeliger Gedächtnuß Verlaſſenſchafft vndernommen/ vnnd die noch heutiges Tags inhaben vnnd beſitzen/ hinderlaſſen. Nun langt aber Fraw Areſcuſa jetzbenente beyde jhrer G. Geuettern vnd Gebrüdere mit Recht an / vnd fordert erſtlich in angeſtelter Klage/ alle vnd jede jhren G. Herrn Vatters Nachlaß vnnd Erbſchafft (ſo viel ſie deren als ein Weibsperſon fehig) als eine eintzige Tochter vnnd Erbin

Erbin. Zum andern fordert sie auch in einer besonderer Klag/ jrer ab intestato verstorbenen Fraw Mutter seligen jhrer Gnaden Herrn Vatter zugebracht Heyratgut/ Morgengabe/ Kleider/ vnd Kleinotter / als ein einige Tochter vnd deren nehesten Erbin in absteigender Linie/ ꝛc. Ist die Frag: Ob Fraw Klägerin solch jres Klagens befügt / oder die Herrn beklagten Grauen / sich deren in Recht entschütten können.

QVod ad hunc casum attinet, possent multa ad resolutionem quæstionis propositæ adduci: Incidit enim materia de pactis successionũ ab intestato, quæ à DD. valde copiosè tractata & disputata est. Sed cum non expediat, multa accumulare quę ad propositum non admodum faciunt, ideo quod ad huiusmodi pacta attinet, breuiter tantùm perstringendum erit. Et notum est inprimis, quod de Iure Ciuili pactum de non succedendo non obliget, neque valeat, vt in *Q. pactum quod dotali & in l. final. C de pactis l. si quando* §. 1. *C. de inoff. testam. l. pactum C. de collat. l. cum duobus* §. *idem respondit ff. pro socio l. stipulatio hoc modo ff. de verbor. obligat.* Sunt enim huiusmodi

pacta odiosa, & contra bonos mores: Imò etiamsi iuramentum accessisset, tamen adhuc non valeant. *per l. non dubium. C. de legib. & est gloss. in d. l. pactum C. de collat. & gloss. in l. quisuperstitis ff. de acquirend. hæred.* Postquam autem iura canonica constituta fuerunt, huiusmodi pacta in vtroque foro seculari & ecclesiastico valere cœperunt, si videlicet iuramento firmata sint, idque propter iuramenti auctoritatem. *c. quamuis, in 6. de pact.* Verùm cum de huiusmodi pactis loquuntur DD. non dicunt, quamlibet conuentionem, aut quodlibet pactum de successione valere: Sed distinguunt rem in 4. cap. Quod quædam sint pacta successionis reseruandæ, quædam successionis amittendæ, quædam successionis acquirendæ, & quædam circa successionē futuram certo modo disponendi, *secundum Bart. in l. stipulatio hoc modo concepta in fin. ff. de verb. oblig. & latius in l. final. C. de pactis.* Atque vt dicam breuiter, tenent DD. communiter pactum de successione amittenda, id est, de non succedendo, sicut filiæ solent aliquando renunctiare successioni paternæ & maternæ, valere maximè, si iuramentum

Iuramentum in pacto de nō succedendo.

tum

tum interueniat. *Per d. C. quamuis & DD. ibid.* Et sanè notissima Germaniæ consuetudo est, Filias in Principum, Comitum & Nobilium familijs, ita renunctiare cum iuramento, dum nuptui dantur, ipsisque nullum regressum dari.

Sicut etiam consuetudo est, vt fœminæ contra ius ciuile, quod masculos & fœminas, nullā habita differētia sexus, admittit, *vt est text. in Auth. de hæred. ab intest. ven. in fin. & § nullam, coll 8. & traditur in l. maximum vitium C. de liberis præterit.* per conuentiones, consuetudines & statuta, à successionibus excludantur, dummodo dotibus ipsis prouideatur. Quod Bart. Bald. Alex. Iason, & cæteri, in suis lecturis, tanquam certum & cognitum supponunt: Nam ea fœminarum exclusio euidentes rationes habet. Interest enim Reipub. quod familiarum ordo & dignitas conseruetur *L. in § sed etsi seruus ff. de vent. inspe.* Et sine diuitijs ea dignitas salua esse non potest, atque decrescit honor & dignitas familiæ. *Lege quisquis Codice Ad leg. Iuliæ Maiestat. Authen. de testibus, paragrapho sancimus. Cod. de suspectis tutor. lege Creditores ff. de priuil. cred.*

O 2 *Facit:*

Facit: quod cum per maſculos gerantur onera Reipub. *l. fœminæ ff. de reg. iur.* vt & commodum ſentire debeant. *l. ſecundum naturam ff. de reg. iur. l.* 1. §. *fin. ff. de aqua pluui. arcend.* Item quia in fœmina nupta, finitur familiæ & agnationis nomen, *l. pronunciatio in fin. ff. de verb. ſignif.* Sequitur enim forum nouum, & familiam viri. *l. fœminæ ff. de Senat.* At fœminæ quia naturaliter nubere cupiunt, & liberos parere, ad nuptias ſunt deſtinatæ. *l 2. C. de ind. vid. tollend.* Vnde ſi fœminę in principum & magnatum familijs ſuccederent, tales familiæ facilè vel caderent, in alienaſque familias bona transferrentur, vt non immeritò vetuſtati viſum ſit, iura ita conſtitui, vt hæreditates ad maſculos confluerent: *Inſt. de leg. agnat. ſucceſſ.* §. *Quod ad fœminas.* Atque pro hac fœminarum excluſione, per DD. paſſim multa allegantur, tam in lecturis quàm in conſilijs. *Bald in l. 1. C. Quæ ſit long. conſuet. & in l. Maximum vitium C. de lib. præter. Bald. in l. non dubiū C. de legibus. Ioan. And. in addit. ad Specul. in tit. de ſucceſſ. ab inteſtat. l.* 1. *ff. de iure immunit. Cyn. in l. public. C. de adult.* cum ſimilibus, quæ amplè proſequitur Philip-

pus

pus Corneus. *Conſ.26. in 4. parte. Angel. Conſ. 147. Marian. Socin. iunior. Conſ.1. lib. 1.*

Sed quia non puto dominam Actricem contra hæc quæ notiſſima ſunt, ſe fundaturam, ideo iſta latius proſequi ſuperuacaneum puto. Et vt ad caſum noſtrum accedatur propius, videtur prima facie dicendum, dominam Actricē actiones ſuas rectè inſtituiſſe, ipſamque ad ſucceſſionem tam patris quàm matris ſuæ admittendam eſſe: Nam dictum eſt ſuprà, pactum ſeu promiſſionem de non ſuccedendo non iuratam, non valere neque obligare: Sed in hoc noſtro caſu non liquet apertè iuratum fuiſſe: neque dicunt literæ renunciationis, quod iuramentum corporaliter ſit præſtitum; quod tamen omni modo requirebatur ſecundum iura ſuprà adducta.

Deinde cum domina Actrix renunciauerit nedum paternæ, ſed & maternæ hæreditati, & pro his omnibus non plus acceperit quàm 6000. florenorū, nonnullas veſtes, & aliqua cleinodia, quæ omnia non aſcendūt ad dimidium ęſtimationis eius ꝙ ipſa renunciauit (ſiquidem renunciauit ſolo comitatui & 4000. thaleris, quos ma-

ter quondam ipſius in dotem acceperat) videtur ipſa enormiter læſa: & licet etiam ex parte Dn. Reorum, allegaretur conſuetudo vel potius ſtatutum à Maximiliano quondam I. Rom. Imperat. confirmatum: quo cautum eſt vt fœminæ ex familia Comitum de N. extantibus maſculis, non ſuccedant, ſed fœminab. legitima tantùm detur, non in terris vel iuriſdictionibus, ſed in pecunia numerata, &c. tamen adhuc videretur dominam Actricem legitimam ſuam non accepiſſe, quę ipſi ex paternis bonis debebatur, ideoq́; renunctiationē eius non valere neque tenere, etiamſi iuramentum interueniſſet (quod tamen interueniſſe etiam non ſatis conſtat vt ſuprà dictū eſt) prout in terminis dicit Petrus de Anchara *in c. acceſſorium. de reg. iur. in 6.* dicens quod ita conſuluerit: Et eãdem opinionem tenet *in conſ. 39. incip. Pro clariori & in conſ. 83.* Quando enim quis enormiter læditur, videtur interueniſſe dolus reipſa, qui ſolent æquiparari dolo ex propoſito *leg. ſi quis cum aliter ff. de verbor. oblig. & ibi DD. tradunt.* Neque dubium eſt, quod quando dolus interuenit, iuramentum non obliget,

liget, vt dicitur *in d. cap. Quamuis*: Et semper videtur à iuramento excipi casus enormis læsionis, *secundum Anton. de Butri: in cap. cum contingat de iureiur. prout refert & sequitur. Decius consi.* 180.

Præterea cum domina Actrix tempore renunciationis fortasse fuerit minor viginti quinque annis, & sic reperiatur enormiter læsa, videtur dici posse, quod qua simplicitate ætatis fuerit inducta ad sic iurandum, *iuxt. tradita per Bald. in cap.* I. *§. item sacramenta, Coll.* 3. *in* 4. *quæst. de pace tenend. int. subd. Bartol. in lege fin. ff. de prætor. stip.*

Item Prætor dicit, quod sæpedicta D. Actrix dolosè & motu quodam reuerentiali inducta fuerit propter reuerentiam paternam, cui non sit ausa contradicere *leg. prima, paragrapho quæ honorandæ, & quod ibi gloss. & Doctores dicunt Digest. quarum rerum actio non detur lege penultima Digest. de furtis.*

Sed non obstantibus his & similibus quæ adduci possent, puto cōtrarium de iure verius esse, & dominæ Actrici obstante sibi renunciatione, nullum ius neq; in pa-

terna neque in materna hæreditate competere. Et pro clariori demonstratione huius conclusionis aduertendum est, quod domina Actrix paternæ & maternæ hæreditati renunctiauit, respectu suæ legitimæ: Et cum illud fecerit propter dotem honestam & conditioni suæ honorificè congruentem, quam dominus pater ipsius Comes Hector ei promisit & postea etiam realiter soluit, vnà cum honorificentissimis vestimentis & cleinodijs, secundum consuetudinem Comitum, debet illud pactum omnino seruari, atque intelligitur dicta dos in locum legitimæ successisse *secundũ Bart. & Paul. de Cast. in l. Titio Centum. §. Titio genero ff. de cond. & demonstr. Bald. in l. non sine C. de bon. quæ lib. l. qui nouella. C. de inoff. testam. Dec. Cons.* 106. *nu.* 3. Aestimatur autem legitima vel secundum ius, vel secundum consuetudinem, prout dicit Zasius *in d. l.* » *stipul. hoc modo, in secundo cap. circ. prin.* Legitima. Notissimum enim est in multis locis legitimã ex consuetudine longè minorem esse, quã ius statuat. Et quod legitima de iure statuta, ex consuetudine vel statuto nedum minui, sed etiam in totum tolli possit, *dicit*

Alexan-

Alexander conſ. 168. *circ. pr. vol.* 7. vbi multa allegat, & dicit eſſe communem opinionem. Iam in noſtro caſu dicunt domini Rei, domini quondam Hectoris Comitis fratres, conſuetudinem eſſe inter Comites de N. vt filiabus pro legitima ſua, tam pro ea quæ ex bonis paternis, quam pro ea quę ex maternis bonis debetur, non plus detur, quàm huic dominæ Actrici datũ ſit, nempe 6000. floren. cum cleinodijs & veſtibus pro ſtatu ſuo: Idemq́; obſeruare non tantùm dictos Comites de N. ſed etiam alios circumuicinos Comites.

Hæc igitur conſuetudo ſi probari poſſet à dominis Reis, prout iſta innui videtur ex illis verbis literis renũctiationis circa principium inſertis, Mit bedingten worten/daß wir dargegen hergebrachten löblichen Gebrauch vñ Gewonheit nach/auff all Vätterlich vnd Mütterlich Erbe/ꝛc. verzeihen/vnd ein verzihene Tochter ſeyn ſollen/ꝛc. Eò minus dubitandum eſſet, quod domina Actrix dicta dote cogeretur eſſe contenta; Quod videlicet ipſius legitima iſta dote ſecundum conſuetudinem familiæ adæquata & completa eſſet: conſuetudo enim ma-

gnæ authoritatis est, & ius non scriptum dicitur §. *ex non scripto Inst. de iure nat. gent. & ciuil. facit text. in l. 1. & l. fin. C. quæ sit long. consuet. & in l. sed & ea ff. de legib.* Imò si hæc consuetudo probaretur, atque domina Actrix tantum accepisset quantum ei debebatur, fecissetq́; pactum de non succedendo, & ita renunciasset, valeret talis renunciatio, etiamsi nullum iuramentum interuenisset: Quod tamen in hoc nostro casu non interuenisse non conceditur, prout infra latius dicetur. Et sic vera videtur conclusio, quod domina Actrix contra factam renunciationem venire non possit, sed ea firma & rata haberi debeat, quod tamen ex resolutione contrariorum, in quorum diluitione omnis difficultas consistere videtur, apertius patebit.

Non obstat igitur primò, quòd suprà dictum est; Cum pacta de non succedendo, non iurata, non valeant: & in nostro casu, quod domina Actrix iurauerit, non satis constet, ideo factam renunciationem ipsi non obstare, &c. Siquidem ad hoc dupliciter respondetur: Primò quod illud quod dicitur: Renunciationem vel pactum de non succe-

succedendo non iuratum, non valere, eo casu verum non sit, si renunctianti tantum datum sit, quantum ipsi ex hæreditate renunctiata pro legitima sua debebatur: quoniam hoc casu valet pactum & renunctiatio, etiamsi iurata non sit, *per l.1.§. si parens iuncto Bart. ff. Si à parent. quis manumiss. fuerit*. Et notant & probant hoc Bart. & Bald. *in d.l. fin. C. de pact. Petr. de Anchar. & Gemmi. in d.c. quamuis. Alex. in d. lege pactum. de coll. & in l. stip. hoc modo cõcepta ff. de verb. obl.*

Iam si ista sit consuetudo vt filiabus Comitum de N. in dotem dentur 6000. floreni & talis dos computetur in legitimam, tam quæ ex patris, quàm quæ ex matris hæreditate debetur, satis liquet dictam dominam actricem, cum tantum acceperit, quãtum sibi pro legitima debebatur, ad obseruantiam renunctiationis teneri, etiamsi iuramentum non interuenerit, per iura suprà adducta. Secundò fallit quod dictum est suprà, requiri iuramentum in pactis de non succedendo, &c. Si consuetudo sit in loco, in quo facta est renunctiatio, quod ita valeat, quoniam tunc talis consuetudo similiter firmat & validat huiusmodi

pactum

pactum, adeo quod obliget, vti notat & probat *Bald. in l. de quibus ff. de legibus in 3. col. & in l. Archimedoram C. vt in poss. legat. Alexand. & Iason in d. l. pactum C. de collat. Idem Alexand. in d. l. Stipul. hoc modo ff. de verb. oblig.*

